33545

HOSTIA
INFULATI HONORIS;
IN
ARA VIRTUTIS,
CONSECRATA.
&
RELIGIOSISSIMO NOMINI
ILLUSTRISSIMI REVERENDISSIMI DOMINI
D. CHRISTOPHORI
ADRIANI
à ROZNOW
SKRZETUSKI,
DEI & APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA
EPISCOPI BACCHOVIENSIS;
Ipſo auſpicatiſſimo EIUS Conſecrationis Die
In vim Filialis obſequij feſtiviquè plauſûs,
SERAPHICO totius Provinciæ Polonæ Voto:
faventiſſimè
DICATA
ac tandem
Cum Privilegio Præſuleæ Indulgentiæ Paternæquè Benedictionis,
Venerabundo Solennioris ritûs Cultu,
á MYSTA ſincerrimæ Clientelæ Affectu:
jugiter
CELEBRATA.
Anno, quo Sūm9 Myſta se Deo Patri in CruCis ARA Xt9 lesVs placitā pro nobis obtulit HOSTIAM

Iuſſu A. R. P. LUDOVICI ELBING S.T.D. Miniſtri Provincialis
& Cõmiſſarij Gñlis, Prõæ Polonæ, Ord: Miñ: Conv: S. FRANCISCI.

CRACOVIÆ,
Typis Ioannis Domanſki S. R. M. S, & Typographi.

IN GENTILITIVM INSIGNE

ILLVSTRISSIMI REVERENDISSIMI

DOMINI.



Dicito: Io Pæan celebris SCRETVSCIA Sedes,
En Tua flammigerum dissecat Ales iter:
Inter Præsuleos ADRIANVM monstrat Honores,
Flumine CHRISTOPHORVM; Crux soleata Tibi.

Ex hoc

Ex hoc Programmate:

CHRISTOPHORVS SCRETVSCIVS,

EPISCOPVS BACCHOVIENSIS;

Elicitur Anagramma purum.

Chare Pubis CVSTOS, hìc Scopus Honoris, cui sis receptus.

EPIGRAMMA.

RElligionis amans Supremo *Chare* Tonanti,
Iam modò Præsuleas suscipe, prende Mitras:
Terrestris velut es Seraphim, qvia Pallade clarus;
Et veluti Cherubim, tum qvia *Pubis* eras
FRANCISCI *CVSTOS*; solo *hìc* vel Nomine Numen,
CHRISTOPHORVS CHRISTVM pectore, mente ferens.
A Virtute datur *Scopus* en Tibi certus *HONORIS*,
Cùi sis promeritò sæpè *receptus* Honor.
Hinc igitur vivas multos grandævus per annos,
Mitrati Sacrum culmen Honoris habens.

Ex hoc Programmate:

ADRIANVS SCRETVSCIVS.
EPISCOPVS BACCHOVIENSIS;

Elicitur Anagramma purum.

O *AVIS* beans, decus *Crucis* CHRISTI, usus pacis pone.

EPIGRAMMA.

O *AVIS*! ætherios tractus proscinde volatu,
Vt sic terrigenis in melius faveant.
Cæli templa petas felici Numine, vastum
Orbem Sarmatiæ; Nos quoq; fausta *beans*
Quære Polum: mox & Superos placeat Tibi adire,
Cum *SOLEA* monstrans Præsulis acta Tui.
Per quæ digna *Decus CRVCIS* es portare cruentæ,
CHRISTI, pennigeram Te Sacer ornat apex.
Exindè ad Nostros *usus* Patriæq; labenti:
Optatæ *pacis* tempora *pone* pia.

HOSTIA
INFVLATI HONORIS,
IN
ARA VIRTVTIS
CONSECRATA.

LVbricæ ventorum fidei expansa concredit lintea, revinctasq; à fortunatioris spei littore fluctibus promittit classes, qvisqvis immensum gloriæ Tuæ pelagus, exiguo encomiorum præsumit innatare lembo. ILLVSTRISSIME PRÆSVL. Caput etenim investigare Nili, contra Aquilonem navigare, testudine venari Aquilas, fulmen Iovi eripere idem, quod Tuarum laudum attingere cellitudinem. In ea namque meritorum stetisti auge, ut sequi periculum, non assequi intra gloriam, altiusq; gestorum tuorum ascendit amplitudo, quàm ut à Maximis contingatur. Decrescit penes ILLUSTRISSIMAM animi Tui Majestatem omnis fastuosa Macedonum magnitudo, quinimo minores statim advertit Maximos, si Tibi conferantur. Meritò de pari cum Principe Astrorum Te agere dixerim, Planetas ille, Tu omnium splendorem extinguis ita, ut non nisi ad ejus radios cæcutire videantur orbis phenomena. Superata cum suis heroibus vetustas, quoties illorum posthumas effigies in saxis & marmore exhibet, obriguisse ad Tuorum admirationem rectefactorum muto lapidum testatur ostento ita, ut & ipse Hercules clavam & Theseus hastam, & Achilles Arcum; imo genu flectat, quoties cum illorum annosa gloria, in parem arenam descendisti: infra Tuæ etenim Virtutis vestigium est, quidquid intra prima capita, orbis celebrat adorator. Vereri inquam potiùs, disertoque demissionis silentio revereri Tuam, & Majorum Tuorûm amplitudinem, quàm exigua paginâ coarctare, ac in publico inculti styli colore pingere fas est. Enimvero si Tuarũ Virtutũ arcana licebit scrutari? minimè & Valeriani va-

lebunt volumina, ipsaq; doctior Pallas, licet literariæ innixa hastæ, priùs cespitare, quàm præfixam sibi meritorum Tuorum tangere metam poterit. Si Augusta Illustrissimæ Domûs repagula invisere? *Qualem nec antiquis refert pagina libris, nec Latia cecinêre tubæ, nec prisca vetustas*; & hìc non unum suæ confisum industriæ Theseum, à recto judicij aberrantem tramite, Labyrinthum ignorantiæ inire credibile, quem non statim quævis Ariadna scientia, ad tritum ejusmodi Domûs deprædicandæ callem queat traducere. Si altum sangvinis in Rubiconem exiles verborum fluere alveos? & hi sæpèsæpiùs confusi, ad sui ruborem pallidam stillabunt sepiam, quinimò Nobilissimos hujusmodi commeatus non capientes, suo capi cupient Euripo Stagiritæ. Si de pari cum Gentilitia Volucre doctioribus Mercurij talarijs instructos, aut præsumptuosos arrogantiæ provehi essedo Phaëthontes? priùs fatalem cum Icaro experti casum, inter umbratiles noctis lippiendo Cimmerias, suam luent ruinam, antequam ad solem gloriæ evolabunt. Si deniq; Infulati Honoris Tui Capitolium sublimi eloquentiæ scandere Cothurno? priùs ejusmodi verborum phaleræ in bivio difficultatum sisti cogentur, antequam assignatam Periodicâ Circumductione æviternæ gloriæ adeant Corinthum.

Timet & mea hisce intrincari svada Mæandris, pallidus ora Tullij insidet timor, præcordia pulsantur metu, hæsitat dictio, exangve cor pannicus percellit horror, mens terrificis agitatur spectris, tremunt ossa pavore, Regina Eloquentia livido animum despondet vultu, ne ILLUSTRISSIMUM dignitatis Tuæ adumbret muricem, postquam illum velit candido genij sui tingere purpurisso. Cum etenim novit benè vastissima quæq; Eruditorum ingenia in Thermopylas & Isthmum compelli, nulliq; calamo ad Tuæ gloriæ fastigium permissum fore, nam immensus Tuæ famæ Oceanus omnium minores absorbet scatebras adeò, ut quidquid de Te dicatur, infra Majestatem laudum Tuarum delitescat. Loquendum nè itaq;? an Harpocratico ora obsigillanda silentio? erumpendum in verba, an tacere? inter incudem & malleum mens posita, ambidextro nutat animo. Ab ipsa namq; Honoris luce, horrent umbram ingenia, à supremo dignitatis statu, casum verentur pennæ, in fertilissimâ laudum ubertate, sterilitatem suam erubescit facundia. Præsuleus hic eminentioris Vestituræ nodus, qui humerum stringit, mentem implicat adeò, ut nec silere cum sui lucro, nec dicere sinè Tui Nominis injuriâ concedatur. Sive immortalitatis altaribus condignam probitatem, ipsisq; Numinibus conterminam magnanimitatem publico exponam soli, timeo; sive eam in abscondito latere permittam, timeo; ne ibi sacrilegij, si eam temerario ausu, indebitis laudum adornaturus fulgoribus, contra modestiæ Tuæ sanctimoniam aliquid præsumpsero, excedere; hìc negligentiæ: si temporum intercapedine eandẽ obliterari fecero; merear condemnari.

Et id est demum in Tua encomia descendere, attonitum pendere, nec progredi, profunda humilitatis abyssus, nec stare pedisequus modestæ

destæ submissionis sinat Honor, tam stare inglorium, quàm ire periculosum. Ruentem cum fulcro salubrioris consilij in curandis animabus, ne Bacchoviensis ruat Majestas Curiæ, stylo insequar? innata Virtuti demissio ejusmodi se subsellio elevari querulabitur; vocales Arpinatû eruditiori Mercurio immolabo lingvas? Religiosa se interturbari taciturnitas suspirabit; ardẽtiori Spiritûs urar pneumate? Seraphici amoris Æthna, qui semel inflammatus nescit mitescere, hujuscemodi extingvet pyras. Probatissimo Doctori texã laureolas? instruã pulpita? erigã Cathedras? in Cathedris contra se argumenta cudi, in pulpitis cenotaphia fabricari, in sertis Coronã sibi eripi; fascibus & fastui hostis probitas ingemiscet. Quid igitur agendũ? occultare merita, quòd oculos fugiat, tumulare virtutẽ ũbris? quòd lucẽ mortiferã suæ Indolis luẽ, sæculi gloriã non respiciat; arcto silẽtij carcere premere, & non satiùs promere Præsuleæ dignitatis Magnificẽtiã? quòd libertatẽ dicendi, & Tullium Tuliano Syllæ magis horreat; idem est: ac auro fulgentẽ Pactoli saburrã vili pẽdere, gẽmas non æstimare, quòd in scabrosa Concha lateant; solẽ redire nolle, quòd in noctes quotidie abeat; adamãtẽ Dynastarũ non iactare capitibus, quòd infra calcẽ jacere gaudeat; cum & Vnio ad stateram exquiratur, & soles à noctibus expectẽtur, avidiùsq; expetantur, & lapis ille ad pretiosum Stephanomatum pondus Tiaris eruatur, & Virtus maximè laudari debeat, cum minimè velle videatur. Abijcere calamos: quòd supra oras, & ora Gentium humi affixa volare dedignetur humilitas? eò est libranda eruditorũ pennis, quò renitatur, fortiùs tollenda in fastigia, quoties posita sibi fastidiens Honoris theatra tollit, nullibiq; operosiùs insudãdũ panegyri, quàm ubi nullâ non movetur operâ, ne audiatur. Imperat laudes ambitio? sileatur, obturat aures modestia? prædicetur; cupit in altũ tolli gloriæ animositas? deprimatur; abscõdi desiderat inter ignorantiæ latebras Virtus? in apricum laudis exponatur, digna plausibus, ad quos obsurdescit, luminibus, ad quæ cæcutit; Majestate, ad cujus ascensum studuit cespitare.

Patieris itaq; Antistitum Modestissime transfugas ab honorario Infulati verticis fastu Virtutes Tuas, per Atticas noctes Cleanthea diligentiùs investigari lampade, quarum jubare minor Magnis splendoribus ne obruatur pupilla, sub obtentu Pontificalis Tiaræ intendit illas speculari. Non dedignare tantùm, licet magnitudinem decorum Tuorum exiguo prosequar opere. Novi etenim sacrum Homeri codicillum semideorum turgentem Nominibus, etiam in viliori nucis putamine esse Iliadem, & parvam Cleopatræ gemmam Ægyptum in se claudere, Deosq; quòd olim sub ignobilibus lateant formis, non erubuisse. Et licet ipsa per se dives Virtus Tua, Honorq; Præsuleus ad valorem non quærat pretia Tagi, aspernari tamen non potes Clientum vota, quæ non Lydia suis metallis, sed amica affectûs producit propensio. Ac proinde magno Tuo confisus Nomini propiùs ARAM VIRTUTIS Tuæ accedens, non tam Eruditorum calamo, quàm Nobilissimi Accipitris Tui pennâ, altiùs in sublime Laudum Tuarum elevor fastigi-

um; exinde penes festum faustumq; Consecrationis Tuæ Diem VotoSeraphici Candoris Tibi ipsi non tantùm cognomento Ordinis Nostri, verùm etiã ipsa re in DEUM Seraph; HOSTIAM INFULATI HONORIS dedicaturus. Dabit Crux sublimiùs in Tua elogia nitenti benedictionem, prosperum Solea faciet iter; Tu verò ILLUSTRISSIME DOMINE delinquenti indulgebis. Si quid avtem in hujus sacratioris ARÆ artificio, & quidem primo exercitio meo publica Eruditorum crisis comperiet, Tu Phidias, Tu Praxiteles eris; si HOSTIAM, ut improbi Cain reprobabit, Tu clementior Protomysta, tanquam primogenita justi Abel, benignâ excipe fronte.

Nunqnam dulcius ex dictionis pelago verborum nectar facundus hausit Tullius, quàm cum ei illud svaviori tripudiantis Cæli Hyblâ fortunatiores ILLUSTRIUM Nominum condiverunt eventus. Licet enim elingvem Memnonis formam indueret, facilè tamen sinè tædiosa vocis indagine in desertos solvetur applausus, si eum festivi lætitiæ soles scintillante Honoris radio accenderunt. Haud unquam Celebrium occurrunt Virorum Nomina, quin in laudes suas facundiorem trahant Arpinatum lingvam. Soles dixerim magnanimos heroas, ad quorum motum moventur Eloquentiæ flores, Spiritus principaliores nominaverim Principes, quibus frigidi Oratorum animantur conceptus, magnetes appellaverim gloriosos Magnates, etiam obstinatiores ferro animos in sui venerationem inclinant & elogia, Hábent morrales Quiritum animæ vivam hucusq; sui memoriam, sunt Agamemnoni sui Encomiastæ, quorum depromptis panegyribus ejus magnanimitas toto orbe divulgatur, & qui non novit dexterrimos Hectoras, paginam videat, quot literas, tot eorum imagines advertet. Non Apellem duntaxat, etiam Hortensium decent Colores, palæ vices paginâ obeunte. Ita Septicollem Romæ Aventinum pinxit Livius, quem nec ipsa vetustas lethali oblivionis infumavit fuligine, ita Maro Troiæ expressit iconem, quæ etiam extincta videtur. Quòd Annibal hucusq; vivat Scipioni hostis, Plutarcho debet animam; quòd inter pallidas mortes non torpeat Alexander, jugumq; etiam nunc minetur Persis, Curtius laboravit. Quam qvis non novit Lucretiam, in Floro defixus stupet, & contra mortuum Tarquinium vivunt in Bruto odia, cujus tacendum crimen, non sinè horroris discrimine, Tacitus nobis loquitur. Quid remotos Cælorum fines incusamus, nihil tam longinqvum, quod calamo non adeatur; senuisset orbis alterius ignarus mundi, nisi Columbi pennâ illuc evolasset. Porro quis infandos raptus Helenæ argueret? Thyestis cænam nausearet? Carthaginis ruinam deploraret? Thebarum stuperet excidia; nisi hæc omnia suis infumata ruderibus Eruditorum eruissent acumina. Quòd Numæ veneremur Religionem, superbos Tulli damnemus fasces, quòd Daphnes amemus pudorem, effrontem Didonis oderimus insaniam, quòd Tulliæ horreamus impietatem, Æneæ amplectamur gratitudinem, quòd in Scævola amorem laudamus, in Tarpeia proditionem Patriæ execramur;

mur; fusiores Livij, argutiores Flori, civiliores Taciti, Annales; virtutes & vitia eorum prodiderunt. Nec nego fatalem Trojæ sonipedem in nostram ætatem excurrisse, sed ne erraret, Homeri Musa signavit callem. Fateor necdum Pharias extinctas Turres, sed ut luceant, oleum affudit Pallas, non improbo Numantiam, Aventino adhuc minari clades, sed gladium qui timeatur Mercurius ministravit. Laborantis quippe gloriæ est perpetuus Orator liber, nec audet eos oblivio aggredi, qui adversus eam calamis sese armaverunt. At non solum mortis, etiam Martis tela scientiæ clypeo retunduntur; cedunt laurum belli nomina, quoties pro illa non tam Telephi hastâ, quàm acutis rationibus decertamus. Eunt in deditionem integris agminibus exercitus, ubi ab eruditionis Duce, clavam rotari præmonentur, sternuntur etiam sinè chalybe militares manipuli, ubi subtile doctioris Styli consurgit acumen, crescunt in plenum gloriæ acervum laurearum messes, si cultura arenæ Apollini committatur, nec tam Martis sangvine, quàm Hippocrenes rore palmaris ille ager irrigatur. Frigescerent jam hucusq; inter mortales Parcarum umbras frigescerent, Orbis domitores: Fabij, Scipiones, Cornelij, totq; magna heroum Nomina; si ad perenne posthumæ ætatis Mnemosynon insculpta marmoribus, denuò tanquam ad silicem immortales suæ gloriæ non excuterent scintillas, quas sibi strenuè inter triumphales exæstuantis Gradivi flammas accenderunt.

Ast quis horum vel maximè haud extingvibiles unquam emorituri Nominis reaccendit flammas, quàm Tua PRÆSULUM Optime Virtus, quæ etiam inter fumigantes tenebrarum latebras clariùs excandescit, & inter tristes Libitinæ cineres, nunc & post, Phœnice vivacior reviviscet. Sola namq; sola (Plinium testor) tumulum ignorat probitas, ibi vegetior vivit, ubi illam damnando elusi errore mori autumant. Cumq; & Statores infra calcem leti iaceant, & Feretrij communi vapulent plagâ, & Atlantes exantlato succumbant onere; cum Serenissimi Majestatum Soles eclipsentur, pallescant decolorante fato purpurarum Murices, in mortuales liquescant cereos Patritiorum Ceræ; Verbo: sceptra, clavas, acinaces, stivas, sarcula, ligones cum eripiat, frangat, calcet, tumulet, hebetet, ac æquet Libitina; ipsa virtus ejusmodi ruinam subire nequit, ita lucet, ut non occidat, ita eminet, ut casum non vereatur, ita respirat, ut exspirare non possit, & cum omnia calcat, ipsa mori nescit. Vives, imò vivet gloria Tua secuturis temporibus, & tacentibus etiam nobis pulcherrimi illi, & ex tota penè antiquitate lecti codices, quibus toties publici præli Tua Virtus, ac inclyta Domus fatigavit Officinas, plùs omnibus Te deprædicabunt. Ibunt in ævum tam eruditæ pro DEO & Patria paræneses, nec conticescent unquàm, quæ tam fortiter à Vobis SKRZETVSCIIS loqui didicerunt. Habebunt in Curia Virtutes clypeum, qvo suam tueantur integritatem, vitia in foro fulmen, qvo terreantur, ægra Patriæ salus amuleta, qvibus curetur; discent posteri, qvâ voce aures Principum, quibus oraculis Senatûs Majestatem implere debeant, habebunt sequentes anni, Tyberim aut Sequanam non turbando, Domi perennem fontem, ex qvo non Milesias Fabulas, sed solidam civilis Sapientiæ, ac omnigenæ probitatis hauriant cisternam. Non uno legemini ævo inter

Magnorum Nomina, plùs dicam Numina scriptorum, memoria Vestra de mortalitate triumphabit.

Non Cedrinis tabellis, nec marmoribus, verùm adamante sculpenda & auro Virtus Tua REVERENDISSIME DOMINE, perennaturos gloriæ promeruit fastos, in qvorum memoria laudabiles Celsi Nominis futuræ ætati patebunt Characteres. Leget posteritas tot laudum paginas, qvot rectefactorum documenta, totq; palmares vinciendo, & non laboribus vincendo Capiti nectet adoreas, qvot in campo gloriæ, propriæ operâ dexteræ plantatas, deciduo sudantis frontis rore conspersas, non emarcidæ probitatis frondes revirescere contemplabitur; ex quarum folijs & Nobilissima Domus memorabilis famæ carpet fructum, & Nostra Religio non sterilem sustentandæ inopiæ, levandæq; humilitatis de imò in summum gloriæ culmen, leget messem ; & Infulatus Honor, quas jam dudũ in culmo maturescentes, necdum tamen virere permiserat alijs dignitatum spicas, Tuo præclaro Nomini etiam in ipso flore autumnari fecit, autumnatas ad manipulum honorariorum fascium ligavit, ac tandem ligatas in acervũ eminentioris prærogativæ conducere promisit. Et meritò dixerim, adhuc in flore autumnavit Tua dignitas, qvia non alio, quàm Parente florum: mense Majo, qvi nihil majus qvibat præstare, qvàm dum Præsuleo Te fulcivit Scipione, cui innixa Patriæ salus incolumis poterit diu stare, & emortua Diæcesanorum virtus, meliùs Elizei baculo suscitata superstes vivet, postqvam ei salubriorem curam præbueris, qvã hucusq; in Religiosæ Observãtiâ disciplinæ exercueras adeò diligẽter, ut nemo Te valeat non tãtùm superare, verùm etiã Tibi adæqvari. Vel ideò adhuc in flore Tuus maturuit Honor, qvia brevi alijs provisurus innocentioris vitæ alimoniam ; ideò in flore, & jam in culmum gloriæ excrevit dignitariæ celsitudinis messis, qvia statim ab ineunte ætate, in aurora adhuc tenuioris vitæ, & optimæ educationis consevit sementem, ejusq; modi culturæ probitas sese egit operatricem. Honorariæ Virga directionis ideò adhuc in plãta refronduit, veluti iusto Ioseph, ut omnibus non aridum illibatæ Virginitatis demonstraret candorem, qvæ Te citiùs cum Christi Pronuba sponsalia inire faceret ; hocce revirescente Pastorali instar Iacob Patriarchæ diversis neqvitiæ coloribus infectas Oves, unanimi puræ conscientiæ delinearet cerussâ. Verè Vere, qvia in herba Honorarij effloruerunt fasces ; voluit etenim Majus Tuis lassis perpesso labore Viribus continuò mederi, qvibus unqvam potuit melius haud præbere pharmacum, qvàm nunc, ubi & Virtus præmio, & labor mercede, & senio confecta ætas qviete indigeat. Si autem qviescere potes ? cum nemo in Throno securus, imò qvietus dormit, secundùm Poëtæ effatum:

Aurea rumpunt tecta quietem,
Vigilesque trahit purpura noctes ;

Non est Honor, sed onus, non qvies, sed assiduus improbusq; labor, continuas secum importans curarum sollicitudines ; ast frustra conqveror Honoris jacturam, veriùs dicentem tacitus auscultabo Tacitum: *Principes omnesqne Præpositos à D E O habere imperium, ac eos instar D E I esse.* Benè & Alphonsus Aragoniæ Rex gestans in corona gẽmam, quæ teste Alci-

ato ad instar serti in aére nascitur; idem prudentiori expressit lemmate: *Dant Astra Coronam.* Non curant propriam qvietem, qvi aliorum invigilant saluti, non dormiunt, qvi dant operam necessitati non sentiunt laborem, qvi pro DEO laborare non dedignantur. Imò ipsa Virtus odit reqviem, inertiq; torpere otio detestatur, cum sciat Nobilibus animis non viles impendere curas. Nescit & Tua Indoles Illustrissime PRÆSUL tenui Cygnorum sopitam fore lanugine, svaviq; indulgere somnolentiæ, nescit inter geniales mollioris plumæ qviescere culcitras, sæpesæpius novit suo labore alijs inferre qvietem, suis vigilijs somnum, suis curis dulce, sed non cum peccato otium.

Ignorat & Gentilitia Ales tarda in exeqvendis actionibus testudinum molimina, despicit per declive socordiæ reptantes lippire ad lucem noctuas, cum ipso volatilium Principe certans, irretortâ solem gloriæ respicit palpebrâ, commodo publico opem allatura; non ipsis etenim Aqvilis tantummodò ea ingenita Virtus, etiam Accipitrinorum Volucri eadem cum sole nativa cognatio. Et non miror Ægyptios divinis colere Accipitrem honoribus, Solem ei locò capitis appingendo, cum Te ejusmodi dignitate Superi, vel ideo hodie voluerint honorari, qvòd cæteris Tuo capite Solem meritorum, Ecclesiæ lumen fidei, Nobis splendorem gloriæ fueris adaucturus. Auguria qvædam vel ex hac antiqvitatis superstitione colligenda posse, nihil in Accipitrinorum Prosapijs futurum, qvod non Divinum & immortale foret; hincq; qvòt Nomina numerare licebit, tot Numina terrena adorare credibile. Nec oportet indignari Ægyptijs Solem pro capite Accipitris appetentibus venerari: industria potiùs antiqvitatis est, qvàm veritatis specimen, ejusmodi aliti in capite solaris imaginem prærogativæ repræsentans. In hoc Gentili Accipitre verisimilem, qvia vivam intueri fas est effigiem, in qvo tot Soles immortalis famæ captat Vestra Domus, quot recte factorum promicantia videre lumina in Patrio Hemisphærio permissum; etiam sub adverso fortunæ signo ecclypsim haud patiendo. Magnificum est, qvidqvid in altum extulit Virtus; non ebore, non argento, nec adamante, ut magnum os mundi Homerus edixit, sed excelsa animi magnitudine, pulcherrimo probè gestorum cultu, proprio magnanimæ Indolis labore, parturiendum; veræq; gloriæ splendoribus ornandum. Optimi qviq; mortalium magnificentiæ dulcedinem sentiunt, probitatis si eam dulcorant condimento, altissima qvæq; facili & felici rerum evêtu capiunt, qvi ea ex merito cupiunt, illiq; Soli perpetuitatis possident pegmata, qvi sinè fastu capaci Magnorum operum & decorum animo, illa attingere conantur. Stimulis immortalis famæ adacti, tam honesto pascunt mentem studio, irreqvietumq; cum vastis cogitationibus implent genium, conceptos ex attritu gloriæ ignes turbari metuunt, omnia lucis expertia vitant, qvia suspecta habent. Sublimes animæ Cælo ut proximæ celsitudine, ita conditione non impares, luce gaudent & diffusâ magnitudine; pretiosa potioris metalli vena, nescit latere, qvin se prodat manifestiùs in Sole apricans, ab ejus radijs valorem pretiumq; habitura. Gemmarum decus tantò illustrius conspicitur, qvantò eminentius ornat fastigium. Et Sydonio tincta Murice purpura tantò excellentiorem præsefert colorem, qvantò illustriorem probæ mentis cooperiat Candidatum

Præſuleæ biſidum geſtamen frontis, eò maximè ſuam cornibus orbi indicat auctoritatem, qvò altius ad Solē gloriæ expoſitū, aſcēdat verticis Capitoliū.

Exaggeratus ad Magnificentiam animus, horret veterum Philoſophorum in Zenonis Stoici Porticu, & pertinaci ſectâ natam virtutem, ut parùm explicatam, triſtiq; concluſam carcere; beatas vitæ calendas glorioſis, ac Illuſtribus factis ad perennem Nominis triumphum, non in arida ſteriliq; ſativæ virtutis areâ, ſed in fæcunda Nobilium operum culturâ, ac freqventi æmulatione partum feliciùs uberiùſq; conſitum promovet; neſcit tamen qvæſtuoſum qvanqvam exqviſitum, non tam dolandi, qvàm adulandi artificium. Ementita & ad inſanam ſtolidæ veſanæq; Divinitatis oſtentationem efficta Coſrois magnificētia ridēda ne magis, an dolēda? orbis judiciū eſto. Fruſtra moles peripheriæ cæleſtis agitare, gyrum Planetarum inflectere, ſolis curſum movere, Lunæ labores expedire, æternas micantium Siderum converſiones diſtinguere, pluere, fulgurare, corruſcare, fulmina contorqvere, tonitrua & grandines diſſipare, rorem crebraſq; nimborum guttas humo ſpargere, fruſtra; adumbrata ſpecie mortalis nititur conatus: Non reſpondēt Iovis imperia peregrino attributa ſupercilio. Tot Regū & Regnorū opes, opus ſuperſtitioſæ Vetuſtatis, tot ſæculorū molimē, templū Epheſinū, tam grandis orcheſtra, ad unius noctis illuſtrationem ægrè ſuffecit. Dicite fervore agitata præcordia Entheo, Oratorio arrogantioris Spiritûs inflata potiùs, qvàm animata pneumate pectora, dicite: Dianam; Lucinæ tunc officio functam, naſcenti orbis domitori commodaſſe flammarum pyras, illas vidiſſe ſeu non invidiſſe. Certius, quā è tripode Delphico effatum: humanæ ambitionis molimina, qvò graviùs terram premunt, eò rapidiùs feſtinare ad ruinam; nempè: *tolluntur ut caſu graviore ruant.* Nec iactet iam ultra ſera Rhodios vetuſtas Coloſſos, neqùe poſt terminalem Thulen & finales Gades ſuas ampliùs ambitioſus Hercules memoret cælo affines Columnas, qvibus illud poſteritati inſcriptum ad perennem Nominis ſui Mnemoſynen perlegendum relinqvat: *non plùs ultra.* Terror ille gentium orbiſq; totius debellator, Magnus non tantùm Nomine, verùm etiam rectèfactorum genere, Alexander Macedo, imbellem, qvia iam mortis diræ enervatam potentiam, è Tartari ambitu ne ampliùs ambiat extendere manum, qvem totus orbis haud qvaqvam potuit, cepit urna. Liveat Livius, horreſcat Horatius, nimis dilatatas ſermonum phraſes abbreviet Cicero, ſuaſq; fuſiores coarctent panegyres Præconiaſtæ. Inacceſſibiles Alpium receſſus, duraq; Caucaſi non ampliùs emollire aceto moliatur juga Annibal, jugi; qvia profundo Cocyti abſorptus vortice. Taceat orbis ſeptem miracula, Ægyptias pyramides taceat, ne Inſulas Phari fari libeat, Babylonica Semiramidis mænia immunia, in immanes Parcarum Manes, torpidoſq; redacta cineres; ſatiùs deliteſcant. Mauſoli Sepulchra ſuis inſepeliantur favillis, ſolis Coloſſos ſolo adæqvatos, non ſolio memorabilis gloriæ exponat vetuſtas, ſimulq; Simulacra ne ſimulet, olim Iovis Olympici perverſa antiqvitas:

Barbara Pyramidum ſileat miracula Memphis,
Omnis Cæſareo cedat labor Amphitheatro,
Aſſiduus jactet nec Babylona labor.

Probæ

Probæ Virtutis prodigium qvidqvid admirandum in lucem protulit, firmam illi securitatem providit, nec in levioris arenæ fundamento locum fixit, ut staret ære perenniùs. Nescio ignobiliori ne studio an eventu clarior, improba Cleopatræ profusio? Regnum illa ad fastum Antonio, imò fastidium Orbi propinavit, sed turpis & obscæna præsumptionis opinio, cum unico haustu unionis eviluit, disperijt, in nihilumq; redijt. Non potu pretioso, at sudore profuso & exercitio laborioso virtutum, vera constat honoris magnificentia, non coronati crateres, sed merita emeritum cingunt verticem, non mensarum apparatu sapidiora palatui parantur bellaria, non aureis Vitellij panibus, sed deciduis sudorum unionibus emendicatur dives honoris Gazophylacium; Pyramides immani mole aspectabiles, Colossi ac cælorum Irides, Arcus triumphales, dum polo caput inferunt, spolium temporis fiunt, Orbis miracula vix in stuporem hominum cadunt, illico labefactata suum mirantur casum; & exhaustis ad pompam calicibus, immensi sumptus consumpti à luxu, non sinè luctu nobilem ruinam in ruderibus qværunt. Qvidqvid vel materiâ pretiosum, vel artificio rarum oculos ludit, qvidqvid vel arte, vel improbo studio venit, adversâ illudentis fortunæ venijt sorte, illius est pignus tam firmum, qvod vincat naturam, qvàm ipsa: tanti æstimandum, qvanti (qvæ dum splendet, frangitur;) vitrea supellex. Cecidit superbum Ilium, sacræ Iovi qvercus sublimi vertice nutant. Et ut Laconismo utar: *Nil tam firmũ, cui periculũ non sit etiã ab invalido*; ipsa Virtus absq; detrimento immortalis durat, perennat, perseverat, triumphat. Excellentium Virtutis fulgor decorum origine & cultu cælestis, inde honoris pretium habet, unde vera gloria pullulat; sola veram apparat & auget dignitatum magnificentiam. Hæc cunctorum animos mirâ admiratione rapit, detinet sinè sacietate, delectat sinè animorum nausea, sæcula vincit sinè periculo, senectâ formosior, vetustate augustior, pondere agilior, saxorum colores pulchritudine premit, ludentibus in serum vellere Smaragdis illudit gratiâ, lucentes per aurata cacumina uniones obumbrat splendore, fulgentibus omni ex parte pyropis nitorem præripit, vastas marmorum excedit moles, ubiq; æstimationem & amorem, ac insuper honorem vel invenit vel relinqvit.

Talem ac tantam augustæ Virtutis Tuæ magnificentiam in Te uno, ut in speculo qvodam hodie spectamus venerabundi, hoc se probat apparatu INFULATI HONORIS Dies, hunc splendorem gloriosè spargit per Orbem Patrium, hunc lætis excipit plausibus Religio. Quàm verò ad ejusmodi probæ Virtutis Augustal summo studio contendisse, æqvisq; passibus concurrisse conabaris, si vitæ spectemus lustra, priùs eximius rectefactorum splendor oculos in caliginem, animumq; in admirationem traheret, anteqvam sub calculum descenderint. Et qvidem primùm nulli comparandus pretio exqvisitus magnificæ Virtutis occurrit thesaurus, cui haud unqvam ab aliqvo justus assignari queat valor frustra enim ad eandem lancem cum inæstimabilibus monilibus probitatis statuitur pondus, siqvidem mercaturam & censum illius empticium ignorat forum. Vtq; Luna sereno vultu minores confundit ignes, nec tenent stellæ faciem lucentis, sic fulgurans Virtutis

nitor, omnem radiantis auri obtenebrat claritatem. Frustra & millies frustra auro tumescens Pactolus pretiosam fulgentis arenæ evomit spumam, & aureis fortuna retijs cur de Oceani visceribus uniones & Regna expiscetur Timotheo? insaciabilis Scyllæ & auro suffocati *Midæ* in medium exponendo divitias, cum tantis crepundijs Virtutis splendor omnem adimat valorem. Hoc itaq; pretio, his sudoris unionibus (Virtutem intelligo) exqvisitum honoris comparatur & paratur ærarium, nam si prudenti Avancini sentimento detur fides: *Emitur solâ Virtute potestas*; facilè conijciendum non aliter potiùs, qvàm ejusmodi gazâ dignitariæ Celsitudinis redimendam fore prærogativam. Non aliter & Tu Præsulum Æqvissime honorarij decoris nôsti acqvirere solium, qvàm solo virtutis pretio, pulchra hæc, qvia proba cum fortunæ aleâ licitatio, Virtutis labore Pontificalis præeminentiæ conqvisita merces. Non priùs etenim magnanimum Hectoris caput sub triumphali revirescentis laureæ reqviescit tegmine, quàm sub militari galeâ ad Martiales exæstuans Sirios, in campo furentis Gradivi uberiùs desudaret, hasq; liberiùs guttarum tunc abstergit profusiones, postqvam proprij cruoris balneetur lavacro. Et suæ providus sorti mercator non priùs Canarias felicis eventûs tangens Insulas, festivum intonat Celeusma, qvàm ut aureo cum Iasone potiatur vellere, infestantes Ponti procellas tristesq; Charibdum latratus & stridores sereno vultu, benignâq; axcipiat aure. Nec laboriosus Agricola priùs sapidiori ad sacietatem suæ inopiæ depascitur alimoniâ, anteqvã modico contẽtus fare, sterilẽ excolẽs glebã famelico enervatas lãgvore vires, eviratosq; vomeri supponat artus; nam juxta Pöetæ dictum:

Fertilis assiduo si non renovetur aratro,
Nil nisi cum spinis gramen habebit ager.

Non pauco cum labore pretiosiora metalli fragmenta de interioribus terræ fodinis, fossore ab extra eruuntur sarculo, utq; splendidiùs luceat aurum, magis politur igne, & qvàm cæteris emineat mineralibus, Lydius probat. Adamas ab incude suum ingeminat valorem, qvòq; altioris pretij unio, eò profundiùs cõchato maris sinu, agitatus difficiliorem suimet homini porrigit capturam. Honoris fulgor ut latè niteat, virtutis indiget radijs, qvò eminentiore pollet æstimatione, eò potiori probitatis comprobatur pretio, cumq; celsiorem ascendit gradum, tunc summum in infimi laboris fastigium non sinè fastidio demittit mortalium animos; nam: Virtus durioribus enitescit negotijs, & aspernatur declivem facilitatem, maximeq; sudore arduum laudis adnititur. Benè qvidam alicubi honorum Competitores expressit, justum eis innuens monitum: *Si quæratur honos non fugiatur onus*; non semel sudandum fronte, insomnes noctes & tædia multa laborum grato sufferenda animo, quàm svave competensq; Virtuti recipiatur præmium. Volucres sectatur Aqvilas, ac præpetes defatigat veredos, præfixam decurrens Stadiodromus metam, ut ibi locatæ sortis fruatur lucro, de pari cum Hippomene certat, cui avidiùs poma Pæstanæ Floræ excitant orexim appetitûs inextingvibilem. Et tantis sudoris gemmis, tali integritatis pretio emitur fastigiatæ præstantiæ subsellium, in ejusmodi VIRTUTIS ARA

consecratur

cõſecratur HONORIS HOSTIA INFULATI; nec ſtatî in Cẽtro eminẽtioris qvieſcit grad9, qvisqꝫ lẽto ad ipsũ graditur paſſu: *Nõ enim venit ex facili lecta corona jugo.*

Qvàm pulchrum eſt! dum poſt tot evidentes Virtutis ſuæ actus Regnorum triumphator Scipio, per purpureum proprij tabi Rubiconem ad fortunatum dignatariæ mercis navigat portum; qvàm gratum! qvando magnanimus Amilcaris Nepos, duram ſuperborum Tyrannorum cervicem in ſui flectit venerationem, anteqvam Orbis Romanus ei vaſallum ſubmiſſionis perſolvat cenſum; qvàm optimum! cum priùs Macedo Gordios reſtringat nexus, qvàm potentem Aſiatico Imperio monſtrat juriſdictionem. Falleris tua ſpe magne Philippe, non te conſcendere putes aureo Aſello excelſum dignitatis promontorium, ſi qvadrupetanti inſidens Caballo, volatilia cæli, & violentos in certamen haud provocaveris Aqvilones. Et utinam ejuſmodi honeſto Virtutis laborioſæ veſtigio deveniatur ad Honorem, qvàm per technas cum Leſcone properare ad coronam: *Occidit, quod fraudulentis erigit artibus, doloſo ambitio male fultâ ſceptro.* Ipſum inqvam ipſum, dignum honorari ſolummodo cenſeo, qvem Virtus promovit, probitas erexit, innocens vita commendavit. Vt Apollo Divinos mereatur honores, non claris natalibus, ſed virtutibus neceſſe inclareſcat; ut pulchriùs jucundiùſqꝫ herba vireat, ejus culturâ ſedulus ſuſcipiat labor; nam: *Virtutis honor inſociabilis comes.* Qvod Sol diei, Conchæ gemma, coronæ adamas, arbori fructus, oculo pupilla; idem ipſum Honori Virtus; cum nec dies ſinè Sole lucida, nec Concha ſinè gemma pretioſa, nec corona ſinè adamante illuſtris, nec arbor ſinè fructu proficua, nec oculus ſinè pupilla utilis; neve ſinè Virtute Honor lucet, æſtimatur, appreciatur, eminet, in ſuoqꝫ ſecurus perſeverat termino. ARA eſt proba VIRTUS, in ea HONORIS cujusvis conſecratur HOSTIA, Sol eſt, feſtos & fauſtos dignitatum accendens dies, Phænix eſt, è ſui laboris cinere vitam ſumit, ſolâqꝫ provenit ab ætheris flammâ; Vnio eſt meritis unit præmia, nullibiqꝫ diu manentem fortunam dignitariæ jungit ſphæræ; Vnio eſt ex ſudoris Erithræo emergitur; non alibi pulchriùs rutilat, qvàm in Cæſarum laticlavijs, Regum coronis, Principum Mitris; gemma eſt, Archipræſuleas Præſuleaſqꝫ exornans Tiaras; adamas eſt, Antiſtitum cruces & annulos inſigniens; Arbor eſt, maturos dignitatum autumnans fructus; pupilla eſt, Honorariorum informans oculos; qvodqꝫ obſcuræ nocti illuſtris ſtellarum Reſpublica, qvod diei meridies; Typhi anchora, hoc idem illa honori. Naufragarentur toties opulentiſſimæ dignitatum merces, niſi illis hæc Pharos Virtus, ad beatas ſpei præluceret Inſulas, eclipſarentur freqventiùs invidiæ umbris, aut fatalibus Parcarum noctibus totaliter extingverentur auguſti Majeſtatum Hyperiones, niſi illis hic præiret Phoſphorus ad melioris fortunæ meridiem, errarent Cimmerijs dementiæ involuti tenebris ambitioſi præeminentiæ Phäethontes, niſi hic fulgor lacteam ad Honoris Empyrium viam demonſtraret. Coronatus dignitatum apex, citò in fatalem verteretur periodum, ſi oculus probæ virtutis à longe firmiorem ſtatum non prævideret. Non enim ille auguſto Majeſtatis culmine ſublimis Dynaſta eſt, qvem pronis fluctibus adorat Nereus, non ille Sereniſſimus Phœbi titulis Rex, qvi unâ manu Orientem, alterâ Occidentem tenet,

non ille invictissimus terror gentium, hostium triumphator, totiusq; Orbis domitor, cujus Aqvilis omnia militârunt imperia; sed ille qvem Virtutis brachium in altum extulit, probitas Vitæ decoravit. Acephalum sinè cerebro, serenitatem obscuram, Solem cæcum, Aqvilam lippientem; qvantũ monstrum! caput absq; capite, vitam populi absq; corde, animam hominũ sinè ratione, dignitario eminentem throno sinè promotrice Virtute, quantum prodigium reputabitur!

Abhorruisti Tu Præsulum Probissime ab ejusmodi mentis insanæ vesania, moribundam, imò mortuam sinè bonis operibus exosus Vitam, potiùs defungi, qvàm malè fungi elegisti. Detestabare ejusmodi Hostiam Honoris, qvæ priùs haud consecraretur in Ara Virtutis; odisti haud nusqvàm, imò tota Domus Tua Honoris Majestatem, quam venalem sub hasta proposuit fortuna, nolebat enim fore tam facili comparandam pretio, pro qva nôrunt generosi heroum animi, pretiosiorem notis Persarum gazis vitam profundere. Scivisti felicis Arabiæ nihili esse auri ramenta, æstimandosq; copiosæ Piscariæ uniones sufficientem amittere valorem, cum tam pulchræ mercis licitationem soli concedere debeant virtuti: *Odit pudenda merce pecuniæ, missisq; turpi muneribus manu honor parari, prōptùs emi, vel meritis vel animâ magnas virtute mentes.* Non ignorabas inanes sollicitæ mentis conatus, qvòd ignotum ad coronam qværat tramitem, si rectum cuipiam propria merita non sternunt iter; nam: *Eadem semitâ, quâ ad Virtutem curritur, ad honorem iter est.* Porro videras benè, qvòd ijsdem splendidiùs honor inhæreat vestigijs, qvæ strenua expressit Virtus, & possibiliùs est altum cæli Planetam obscuro sipario, ignitis contectis radijs, gratam mundo detrahere umbellam, qvàm excelsæ virtuti possit denegare comitatum dignitas: *Nec umbra soli, nec meritis comes, absistit usquam gloria* Abscondant se licet in profunda Hyrcaniæ nemora pulchra merita; nunqvam ita felicia in suis erunt latebris, ut illa seqvaces honorum tituli in publicam Orbis non protrahant faciem: *Honor in vijs latere dum certat, per ipsos emicuit nemorum recessus;* qvando illum individua comes fama demonstrat; *Vasta viri procul se fama pandit, quam serenis pulcher honor comitatur alis.* Effugiebas Tu semper Antistitum Modestissime cujusq; honoris celsitudinem, nativâ modestiæ Virtute edoctus, meritis latebras qværere, altâ virtute humilia amplecti; tanqvam nescires: tutissimum tramitem ad sublimia per declive, optimèq; in eum sceptra inclinari, cui virtus propria dedit suffragium. Pulchrè Avancinus: *Honor fugientem quærit, quærentem fugit, sequitur se fugientes.* Solem dixerim Honorem, qvem Virtus aurora præcedit, illos comitatur, qvibus præire virtutem videt, illos titulis illustrat, qvi vitâ exemplari cæteris lucent, illis pretium & valorem addit, qvi pondere meritorum Orbem onerârunt & ornârunt. Et licet Claudiani effato:

Ipsa quidem virtus pretium sibi, solaq; latè,
Fortunæ secura nitet, nec fascibus ullis
Erigitur, plausuq; petit clarescere vulgi,
Divitijs animosa suis;
Hanc tamen invitam blandè vestigat, & ultro
Ambit honor.

Non

Non vili & Tu pẽdebas idẽ hujuſce Virtutis pretiũ, ſolo ejus contentꝰ valore, mũdi effugiſti æſtimationẽ; plebis evitãdo gloriã, latere potiùs ſub Religioſæ modeſtiæ cortina, qvàm eminere honoribꝰ volueras, qvodſi ignorares magis in pullata & vili veſte, lucidos honorum ſplendeſcere faſces, an veriùs faces, qvibus Virtus in obſcuro latens reaccenditur. Ingreſſus Religionem frænũ impoſuiſti mũdanæ vanitati, putando in clauſtro orbatã præmio mancipari virtutem, ut ſi neſcires, qvòd etiam ſub arcta ſolitariæ vitæ Clauſura ſtipata honoribus virtus liberiùs incedat, & ſub gravi Obediẽtiæ iugo, iugiter licentioſior dominetur. Hujus probatio vita innocẽs, profeſſio ſanctimonia, Votum pietas, Regula & Conſtitutiones perſeverãtia in bono, exercitiũ probitas, ſpeciale Virtutis præmiũ individuꝰ honor; Cuiꝰ obſervãtia adoratio, ſilentium vocalis famæ claſſicum, humilitas celſitudo; cujus paupertas dives, obedientia libera, patientia ad arbitrium, Caſtitas fæcunda dignitatũ Parẽs: imperat, eminet, candeſcit, perſeverat, ſemperq; triũphat. Sciviſti pulchriùs exemplo morum, qvàm Imperio eminere, animo qvàm gradu, tincturam modeſtiæ eſſe arbitratus, cum ſæpeſæpiùs ad laudes & digna meritis omina & Nomina erubeſceres. Præpoſterum decus nôſti eſſe, cum byſſus candet in dorſo, vitiorum abyſſus horret in animo; pallet enim purpura, dum imparem fortunæ induit Candidatum, pudorq; qvidam bombycum inhabiles lacertos operire, dum qvis non meruit, faſces obtinuit, cum ad gloriam pertineat: priùs dignitatem mereri, qvàm habere. Condignè Pelignus Vates:

virtutem actusq́ priores
Commendat repetitus honor, virtusq́ reducit,
Quos fortuna regit.

Aliter miſerrima eſt magna felicitas, qvam major Virtus non fulcit, & immeritis animis nihil inſigniùs, qvàm honoris inſigne; commune rerum fatum, ut dignitates indigni rapiant; nam: *ut in ſummo appareat, ſublimis ſit neceſſe probitas.* Sapienter proinde Alexander Severus egit, qvi qvoties aliqvem ad honores promoviſſet, curabat nomen ejus publicè affigi, ſubditoſq; hortabatur, ut ſi qvid reprehenſione dignum ſcirent, liberè illud indicarent: ventis fortè vitij occulti, vel ſcandali improbitate templum Honoris profanandum. Haud ſecus Tu ILLUSTRISSIME PRÆSUL HOSTIAM HONORIS accepiſti, ni priùs in ARA VIRTUTIS conſecratam, ſecutus Romanorum morem, qvi adeò ſtrictè Virtutis & Honoris templa conjunxerant, ut nemo ſacrarium Honoris videret, qvin priùs ædem Virtutis inviſeret, documento relicturi orbi: magnos honores magnis virtutibus conſangvineos; nec lædit qviſpiam Virtutem, qvin ægrè ferat id honor, pertinaciùs ab illo fuga injuriam ulciſcatur. Non expers Peloponenſium Cerimoniæ, non niſi promovendorum benè meritorum, qvorum judicium hac in parte Statua elingvis loqvebatur. Stabat hæc in conſpicuo Civitatis, ſiniſtrâ manu ex lapide Sapphiro orbẽ tenens: Coronis, clavis, Infulis alijſq; inſignijs plenũ; dextrâ verò effigiem virtutis cryſtallinam, aureo torqve colligatam, à qva hæ literæ obryzo fuſæ pendebant: *Tibi, Soli, uni*; ſcilicet: *Virtuti militat Honor.* Talem Te hodie proclamat Virtus, Honoris Infulati victimans Hacatomben. Meritò Tuis meritis inſtat Statius;

Te Fortuna

Te Fortuna ſinu Tyrio, Tibi gloria felix,
Educat, & cunctos audet ſpondere honores.

Quid ultra inflatorum typho Macedonum conquerere ambitio? quòd te evendicatæ Divinorum honorum prætereant eminentiæ, cum nunquam illius ſecura fuerat virtus, ut privato in lare abſconderit Majeſtatem. His Regia impertit ſceptra, eos ad Senatorias evehit Curules, illis fert digna terrarum faſcibus coronamenta, quicunq; meritæ virtutis præferant inſignia: *Ad recluſa pervulgatæ virtutis Auguſtalia pulchrâ ſtatim ſerie cohæret honor.* Non erubuit pauper quondam Agathocles inter aurea Regalis menſæ carcheſia, argillaceas ſtatuiſſe pateras, imò pluris ſibi virtute conquiſitum æſtimavit Imperium, quàm ſi illi longa Proſapiæ linea ad ſolium faceret aſcenſum: *Regem imò quemq; Honorium naſci nihil magni eſt, at Regno honoriq; dignum ſe præſtitiſſe, hoc maximum eſt.* Stupendum ævi negotium gloria, nunqvam ita ſterili voto coluit Virtutem, qvin celſæ dignitati copulata nexu, feſtos & fauſtos ſibi in triumphum caneret applauſus, aut mole perarduâ viſenda lætitiæ fabricaret theatra; nam: geſtiunt ſemper cupiuntq; in orbis facie ſpectari, qvos magnus Virtutis ardor, & arcendo magnete honoris gloria traxit in triumphum. Eiuſmodi orbis Genius eſt, nec aliam ipſi Superi ſtatuêre legem, niſi ut ibidem ſint exqviſitæ præmia celſitudinis, ubi ſunt maximis cenſa ærumnis probè geſta virtutis. Livor ipſe etiam qvidem pulchræ detrahit Virtuti, æqvum dignumve cenſet, ut publico in Capitolium Orbis trophæo per ſacrum clivum feroces trahat Sicambros; ipſiq; auguſtiſſimi Patriæ Proceres, qvorum heroam Indolem non otium aut ſepultæ mora inertiæ ab excelſis laudum actibus retraxit, ſuo haud celſæ dignitatis priventur præmio. Et certè Reginæ Alitum Ioviſq; Miniſtræ volucri, ſereniſſimus Sol inconnivâ oculorum acie ſui luminis concedit purpuram conſpicere, eodemq; liberiori intuitûs auſu vix non ipſam tantummodò ſplendoris Majeſtatem comprehendere: priùs etenim Aqvilam nativo expulſam nido, & Patrius vigor, & venti iamjam remotis nimbis inſolitos erudiêre niſus. Pulcherrimum agit vaſto in mundi circulo, ac ejuſdem Avis aſpectu in ipſo meridiei theatro ſolus Sol triumphum, aſt eò juſtiùs peragit lætitiæ ſcænam, qvò operoſiùs poſt naufraga Oceani vada, ac infeſtantes Aqvilonum tumultus, non uno laboris & curſûs tramite, immenſa poli emenſus Olympia, præcelſis ſemper gradibus altam latamq; luctatur in augem: etenim nemini per naturam eminere conceſſum eſt, qvem ad terram uſq; ſudati non preſsêre labores. Et licet nonnunqvā accidat repentè alios inclareſcere, anteq; fortunæ vota beatos feliceſq; cenſeri; fit tamen ſæpiùs, ut tam præcoci felicioris eventûs ſublati motu, triſte ac horrendum calamitoſæ inopiæ Orbis ſpectaculum exhibeant; non alio futuri mali augurio, qvàm ſicuti corruſcantis poli Pater Phœbus, ſi præcurrat in ortu ſuo vota hominum ſerenitate, non ex infallibili agreſtium præſagio futuram diei portendit tempeſtatem. Ipſi eqvidem ſolummodò immortalitatem Nominis, currus triūphales, faſtoſq; merētur æternitatis, qvi ſinè faſtu, non perſūctoriè ac levi ære & pretio; ſed athleticis cogitatiſue per laborum ſudorumq; ſpatia operibus, ſeſe in Orbis faciem exhibent & pandunt: ornat ſæpenumerò pe-

rennaturis

rennaturis hos gloria ceriſ, celſoq; honoris ſtant ſibi colle Penates, qvos clara virtutis poſuêre merita in faſtigio. Hinc non immeritò meriti dignitas ſupra ipſa tollitur rectèfacta, & ſi benè ponimus ſuffragium, major eſt dignitatis præſtantia, qvàm felicitatis, adeoq; majus eſt felicitate dignum eſſe, qvàm felicem fuiſſe. His omnibus Tu ipſe PRÆSUL Auguſtiſſime altior extiteras, qvamvis Siſypho grandioribus laborum premebaris acervis. Sciviſti etenim nullam eſſe diuturnam gloriam, qvam ſtrenuus labor, ac indefeſſus ſudor priùs haud anteceſſerit, ſciviſti nempe: qvicunq; verè fortis in omnibꝰ, non ille vitat tela, ſed excipit, nec fugit pericula, ſed magno illá capit animo, ſi qvando pulſant pectꝰ; ſicq; adulta Virtꝰ etiã inter impedimenta propagata creſcit, imò ab adverſis ut lux à tenebris magis intenditur.

Nituntur alij neſcio qvali fortunæ propenſione ad excelſa honorum propylæa, ſed qvàm ex improviſo fatali lapſu in ultimo ſeſe cũ Icaro deprehẽdunt gradu, cum ſæpè exigua merita leve afferant auxilium: *Vertigo ſublime nitenti timetur, cujus animus virtutum pondere non gravatur.* Fruſtra deliciæ fortunæ Polycrates fidele ſibi honorum ſtabileq; promittit famulitium, ſi ei propria Virtus ad maieſtuoſæ dignitatis pompam non aſſiſtat, citiùs hocce comitatu deſtitutus, in opprobrium Orbi infame mortis conſcendet ſupplicium, qvàm eminentioris famæ culmen poſſidebit; & ubi ſubarrhatam in annulo gloriæ æternitatem ſibi ſpoponderat, terminalem intulit periodum. Poſt ſepties oblatum ſibi Conſulatûs Romani Solium, ſolo defixus miſeram inter fædas Mæotidis paludes egit vitam Marius, & poſt celebres ex hoſtibus triumphos, funeſtos ingeminat dies: *Heu verſatur celeri ſors brevis Orbe rotæ!* Atqvi turbidos Euxini fluctus vaſtaq; ejus imperia ſuæ poteſtati curet obtemperare Iulius, ſe blando Fortunæ provehi iactãs ſinu, cum brevi poſt, inverſo ſortis iactu, triginta tribus confoſſus iaculis jaceat exanimis, propriòq; cruoris ſalo ſolus priùs ſubmerſus, qvàm deſideratum honoris percipiat littus. Qvàm plurimos in tam alto evanidæ ſpei Archipelago in Scopulos & Syrtes delatos hauſit tempeſtas: Mithrydates, Caſſios, Pompeios, Bellizarios; non unum in ipſo curſu, qvem aliqvando proſecuta erat, velut fatigata deſtituit Carbonem, aut Bajazetem fortuna, qvi vix qvidpiam ſecuræ experti malaciæ: *Cito levis magnas opes huc tulit & illuc caſus.*

Enimverò reprobãda potiùs hæccine, quàm ſectãda & ſpectãda ſortis perverſæ alea, ubi auguſta Virtꝰ, haud anguſto majeſtuosè inter honorũ inſignia meritorio inſidet ſolio. Deam ſe illa ob faſtum, non abſq; faſtidio faſtigia occupans, ab apologi fingit commentis, hanc ſinè Poëtarum figmento Superi veriùs Dominam honorum effecêre; ad placitum illa perſæpè etiam iniqvos præmiat, hæc ſemper intaminatis fulgens honoribus non ſinè prævio meritorum examine dignitates confert mortalibus, ut immortales cælo reddat. Auro nonniſi illa gemmisq; turgens æſtimationi vendicat nomen, hæc ipſa ſibi pretium, qvos invenerit, beatos relinqvit poloq; ſuperſtites inſerit. Sola extra mortalitatis tumulum, ſola Virtus cumulum gloriæ recipit; ſola ſepulchri neſcia, fatorum domitrix; prima effugit extremi triſtia fata rogi, duroq; nititur ad laudem clivo, ejus eſt vitia fugere, primæva Sapientia ſtultitiâ caruiſſe. Sed proh! qvàm pauci, qvos æqvus amavit Iupiter, velve

 ardens

ardens evexit ad æthera Virtus, plurimorum avidiorem eminentiæ animum fortuna ſuo lateri junxit, ſuoq; regimini rotâ inflexit verſabili. Cræſi Craſſiq; opibus pretioſior in ſui valore, licet in nomine ſonet inopiam Virtus ut Irus, vel ideò forſan paucos ejus ſeqvi probitatem credendum. Hæc Albinos, qvos etſi natura Orbi dedit Nigronios, ex Turpilijs Pulcherios Aurelioſq, radiare honoribus facit, qvi qvandocunq; ad ſui gloriam nominis in adverſa etiam ſorte Ferrerios ſeſe nôrunt ei demonſtrare.

Et certè non novit honorem, qvi eum cæcutire putat, acriùs ille centoculo proſpicit Argo, qvem rectèfactorum exornant decora, hos tantummodò recto tramite incurrit lares, qvos clarum ſtirpe genus & Nomina magna Catonum, partim Nobiliſſimæ Domûs clenodijs, partim inſcriptâ hoſtium cervicibus magnanimitate ſalubrioriq; conſilio, ſingulari ejus reſpectui favorive commendârunt. Talem Te ac tantum vidit Honor PRÆSUL ILLUSTRISSIME dignum eminentioris gradûs faſcibus Patritium, cui condigna Patrio Orbi merita, dicatos Eccleſiæ annos, ſanum prudenſq; roborandis legibus, ac Cõſtitutionibus Seraphicæ Reipublicæ conſilium, Pontificali exſolvit munere, id ipſum ſpondens: qvòd hic Præſuleus celſioris præeminentiæ murex, ut elephantem ſemper ad novos plauſus, & nova conferenda Tibi, ac Domui Tuæ Inſignia, ocyùs Te concitabit. Qvàm parvo etenim haud ſtudio PRÆSUL Vigilantiſſime Virtutis ſecutus veſtigia, utq; ſecurior ejus inveſtiges callem, MAJORUM Tibi merita detriverunt iter, Gẽtilitia VOLUCRIS pẽnas addidit, qveis celeriùs eadẽ inſeqveris, SOLEA firmavit, ne à recto in lubricũ deviares, moxq; ut optatã tãgeres Honoris metam, CRUX Tuæ comes viæ, inſidioſos fugans obices. O Duces! qvàm DEO & hominibus grati; gaude cælum, exulta terra, Polone Orbis lætos, & ſinè nube ingemina dies, qvòd tãtis, ac talibꝰ ACCIPITRINORVM fulgeas ornata decoribus. Illud eſt Illuſtriſſimæ ACCIPITRINORVM Proſapiæ gnomon illud, qvod clariùs meridiano ſole ſuæ magnitudinis radios Patrio intendat polo, ſuo ſplendore eum priſtino reſtituens ornamento. Maximum generoſitatis imò cunctarum qvalitatum hoc in Schemate deſignatur ſpecimen: Nobiliſſima VOLUCRIS generoſam animoſitatis præſefert Indolem, expanſis ſurſum alis promptitudinem ſuccurrendæ demonſtrat Patriæ, apertoq; ore animi ſpirat dexteritatem, pedibus alligatæ campanulæ gravi à ſocordiæ ſomno militares excitant animas, tota deniq; AVICULA aureis implumata calamis ferream hoſti calamitatem, miſerabundæ verò Patriæ Saturni temporibus pretioſiora ſæcula appromittit; ac tandem cæruleus Stemmatis campus cæleſtem animum, conſcientiæ candorem, plenumq; gloriæ indigitat manipulum. Quid SOLEA? niſi fortem & bellatorem animum, dexterrimos certaminis Duces, Militum audaces catervas, ACCIPITRINORVM Proſapiæ magnanimos Heroas, generoſumq; referat Bucephalum; qvid intra CRUX? ni militarem diſciplinam, vim qvoq; fortitudinis ingerat ac expendat. Sed ultra hæc, qvidqvid vel non imbelle efformat cor, vel cataphractam fortemq; impegit militiam, in hoc Nobilitatis Stemmate, magis qvàm in ſpeculo eniteſcit. Hic enim verè eſt fortis, qvem ornatus Cæleſtis uſq; ad plantam æqvi non eqvi adornat; hic probè ſtrenuus,

qvem

qvē bellè in bello Crux Sācta dirigit, decor Virtutis adversùs hostē firmat, qvi Virtutē suā Virtuti Christi, nomēq; propriū Nomini Ejus subduxit. Vndè jure merito Insignia hæc machinā qvādā Iconologiā robustiori s animi dixerim. Demetriū Phaleriū Plutarchus, tātùm ingenio arteq; præcelluisse in Martiali refert cāpo, qvòd amicis magnitudine stuporē, hostibus pulchritudine adferat voluptatē; Verùm Insignia hæc & pulchritudine voluptatē & magnitudine omnib9 augēt stuporē: sunt enim prototyp9 omnis bellicæ artis, sunt imago, speculū, faciesq; magnanimitatis. Ast promovēdi cultûs Divini in Ecclesia, propagādæ Religionis Christianæq; fidei, in hoc augusto Monili haud angustū apparet signum; ipsamet Ales alas insuper erigens, ostendit: qvomodò zelo amoris incitata cælos petat, distensis pennis nocivos hæresum pellat errores, salutarem ac proficuam Superum populiq; tegat & protegat auctoritatem. Ejusdem Solea sursum extremitatibus inversa, Cruxq; intra eam documenti; qvasi amor Crucis Christi Vestrâ Solea sit promovendus in cordaq; mortalium invehendus. Benè Constantinus Magnus Gentilitiam Crucem amorem DEI pietate insignem testatus, qvem meliùs tunc exprimimus, dum Cruce imprimimur. Neqvit itaq; lumen Catholicæ fidei Erronum infuscari tenebris, cum ei fulgida ACCIPITRINORVM luceat Crux; Ad inevidens argumentum obscurumq; fidei mysterium petant Diogenis faces cæteri, nobis Crux Vestra sufficit: in Alite etenim Solem, in Solea lunam, in Cruce, siderum lumina sat clara, ad expellendas hasce umbras credibile. Et qvidni meliùs pro Christi Vinea SKRZETVSCIORVM excubet Accipiter, qvàm olim pro hortis Hesperidum draco invigilârat, nunqvam hanc Avim Sinonis adumbrârunt artes, nonq; erubuit unqvam, qvod pro Orthodoxa Vnione, & suæ Regionis Religionisq; fecit defensione. Haud poterit Vistulidum qvandoq; Natio inter favillam & rudera despondere animo, cum neqvaqvam didicit in cineribus & pulvere tumulatis sepulchralia inscribere, evolutos novit imò evolatos, non tamen in termino hujusce Accipitris. His armis hocq; decore DOMVS Vestra exornata poterit illud intonare: *inveni in CRVCE amorem DEI, in SOLEA gloriam, in ALITE omnium Virtutum plenitudinem*: Comptè qvidam:

Quis tam concordi junxit tria robora nexu?
Quis Soleam sociam jussit habere Crucem?
Accipitrem quis? demonstrant insignia gentis,
Certatimq; sacro laudis honore nitent.

Generoso animo qvia nihil excellentius, plurimi ex terrarum Satrapis Ducibusq; insignioribus ac præcipuis, varijs medijs suæ Virtutis specimen declarabant. Agamemnon ille Leonem clypeo appendi curavit, à cujus ore flamma micans spargebatur; unde ei posteritas: *virtus fortuna Agamemnonis Leo, quo fortior nullus, ignem rugiebat, dicebat vix, & fiebat.* Alexander Macedo ad exprimendam ostendendamq; Gentibus suam potentiam, fulgur scutis imposuit: penetrabat enim hostium vires velocitate ut fulguris virtute. Darius falconibus tribus exaratis magnanimitatem suam insinuârat; credebat enim totum Vniversum annetibus tribus assimilari; unde falcones, ut

clarum & potentem animum figuraret Asiæ, Europæ Africæq; confinijs, assumpserat. Ast ego nullo magis crediderim Vestram commonstrari magnitudinem ILLUSTRISSIMI DOMINI, qvàm IASTRZEMBECCIIS armis: CRUCE, SOLEA, ACCIPITRE, Auro. Secuti morem Maltensium, suam Indolem Cruce insignientium, qvorum tanta generositatis authoritas, ut eam Summi Pontifices florentissimam vocaverint Religionem, licet ob humilitatis indicium, ejusmodi titulum neqvaqvam sibi adsciscant. Prodijt in solem vis Vestræ SOLEÆ, cum nonnisi his potiatur armis, qvi acerrimè decertaverit, hostiumq; audacter irruerit phalanges, eo animo abrupta eqves invadendo montium, ut Soleæ à calcibus veredi deciderint, & sic adversantium insisteret cervici. Talia sunt Vestra ACCIPITRINI INSIGNIA, hæc sunt Familiæ magnalia: ARA VIRTUTIS, HOSTIA HONORIS gloriæq; auxesis; nec aliqvid aliud efferunt, qvàm unicum Magnificentiæ documentum. Antiqvitatem verò hujus SCHEMATIS si liceat ad calculum reducere? non minùs vetustate annorum, qvàm dignitate meritorum in Patriam, zelo Religiositatis in Ecclesiam, honorum amplitudine in Prosapiam, integras Arithmeticorum occupat pandectas; meum deniq; tenellum genium incomprehensibili vastoq; suæ celsitudinis elencho non tantùm obruit, verùm etiã acephalum reddit. Sumit hoc suam originem in Patrio Orbe Aõ 999. HOSTIA HONORIS suæ dexteritati à BOLESLAO CHRABRI collata, ubi hostes Orthodoxæ fidei, Monte Calvo occupato, milites Xti in certamen provocantes, eorum illuserant pusillanimitati. Primus hac in re ACCIPITRIN cognomento, elencticam magnanimitatis suæ monstravit Virtutem, dum applicatis sonipedi soleis, reliqvis Coryphæum agens, inaccessibile Montis adivit jugum, juges suæ potentiæ Romanæq; fidei vasallos efficiendo. O magnanimitatem Viri præcelsæq; Virtutis Indolem! non ipso tantùm Alemannorum Herculis, velve Macedonum Alexandri intitulandam nomine, verùm etiam ipsis Superis victimandâ dignam HONORIS HOSTIA; hæc tunc generositas probæ Virtutis, etiã nunc in SUCCESSORUM præcordijs ardet, qvæ tot Sarmatico Orbi suæ integritatis radios, qvot omnigenæ probitatis pulchras dedit comprobationes. Magna est gloria inde Vestra Illustrissimi ACCIPITRES tali fulsisse decoramento, ubi alij in parte, Vos totum accepistis. Non præivistis, ast evolastis ad primum honoris iter, difficillimos Annibale superando Alpes; Vobis extensa SOLEA viæ terminos patefecit, ad felicissimè pergendum obarmavit CRUCE, nec mirandum tantam honorum congeriem: difficillimè corruunt, qvos nativa ducit SOLEA; & qvod alijs ad punctum, in puncto proprium labi, in ACCIPITRINORVM SOLEA locum dicit nõ habere: ignorat hæc infortunia fortunatissimã seqvẽdo CRUCẽ. Olim Darius cum spe triumphi portabat Accipitrem, Telomachio omen gloriæ aderat & trophæi Accipiter; Craciadum Gens è ACCIPITRINORVM ALITE fert gloriæ famam, triumphales carpit verbenas, possidet simul & victoriam. Splendetis, imò fulguratis plenâ luce, qveis ab alto ALES CRUCIS nusqvam denegabat lumen; immensi ardoris fomitem in Vobis æviternum Accipitrinus effecit animus, ut extingvi aliter, nisi in extincta prisci Lechiadum fulgoris siti non possit. Celebrent alij qvàm festiviùs suum nomen

universo

universo divulgandum mundo, undiq; applaudentium lingvarum depromptæ panegyres, solemnioribus eorum famam ingeminent carminibus, sursum æthera eruditorum provehant calamis: Vobis maxima esto laudum Synopsis: dici ACCIPITRINOS; ultra terminales Garamantas & Indos ac subterraneos Antipodas, fastuoso inflata typho aliorum avolet fama, ego apprimè sinè assentationis fuco faterer Vestrum ACCIPITREM latius altiusq; gloriæ ascendisse promontorium, ni ampla tanti decoris magnitudo sermonis parvitatē & pravitatē indiceret indicaretq; Oratori; ni vasta laudū immēsitas coarctaret dictiorē, Virtꝰ haud appetēs gloriæ os silētio arctiore obsigillaret. Atqvi dedecet svadam compescere fræno, ubi liberiùs gestorum svadetur immensitas, non licet oppilare ora, qvi mundi oras opimis Virtutum complevistis cimelijs, amplitudine Parentelæ Sarmaticum orbem adornastis. Ingentem o ACCIPITRINI! Nobilissimarum Prosapiarum novi concursum, hocq; Stemmatis signaculo legi insignitum, ex toto tamen videre non potui: tantorum enim luminarium commeatus aciem ingenij hebetat, mentis pupillam percellit, satis sibi gloriæ ratus: esse ac prodesse cæteris, lucere Orbi, etsi cerni cum Sole neqveat. Qvidqvid tamen à longè ex Vmbris FRANCISCANÆ humilitatis reverenter adverti, Seraphico animatus spiritu: rudi expressi stylo, cujus artificium materia exornavit. Expressi dico? neqvaqvam, nunc cæpi; qvidqvid dixi: tantillum est, qvidqvid protuli: pro nihilo reputabitur; cum de ACCIPITRINORVM Familia, ac eorum celsissimi Sangvinis nexu nihil dixi. Multis originem principiumq; Domûs suæ tegere placet, sufficere ratis, in qvam excreverunt magnitudinē, Nili ad instar, qvi cum vasto crebrioriq; decurrat latice, fontem occultat, vel ad Paradisum, qvo Divini qvidpiam adstruat, refert. Tales in sui honoris templo cætera simulacra videnda exponunt; primum illud ortûs idolum in adytis ædium servant fide non oculis colendum, ne patentis gloria minuatur aut fiat contemptus. Vestri Generis origo Illustrissimi ACCIPITRES omnem crisim supergressa & sui secura, cunctis patet non minùs veneranda, qvàm timenda; ne fulgore obruat perscrutantes. Certè hujus claritudinem mihi investiganti lux qvædam oculos everberat, præcordia penetrat, Sole ipso præstantior; cum hic anteqvam se totum explicet, adhuc in aurora gloriæ meridiem fecit, Polonumq; orbem varijs ingentibusq; Illustrium Titulorum sideribus adornavit. Rutilârat pulchrè hocce in Sarmatarū Zodiaco Serenissimū ACCIPITRINORVM Luminare, Patrio primitùs vocabulo IASTRZĘBIEC dictum, idemq; adhuc in Paganismo erat, ac dum babatum pro armis ad denotanda sua merita plurimæ Domus Regio consensu assumpsêre. Duravit hoc Nobilitatis Decus ad Successores S. ADALBERTI Arch: Gnesn: qvorum aliqvi à Ritwiany, aliqvi à diversis possessionibus suam notavêre magnificentiam. O immensam IASTRZĘMBECCIORVM panegyrim nobilissimāq; ACCIPITRIS eminentiam! Cælitum etiam Sucessoribus condecoratam; fatere plùs ne Tibi ab illis dignitatis, an illis à Te authoritatis venerit? Huc pennnæ Oratorum, Arithmeticorum codicilli, Historicorum annales, antiqvitatis hypomnemata, abacos ponite & mensas Pythagoræ; tot Domorum splendores, Patritiorum

Genealogiam, ACCIPITRINORVM amplitudinem, qva Orbem Polonum cōpleverunt; ad calculos revocate, pensate, trutinate. Dicite qvot sæculorum iam se implicuit eorum gloria, qvot Prosapiarum immiscuêre splēdores, qvotq; serenitatum innexuêre tituli; nunc accedant & ascendant in analecta, accendantq; Atticas noctes primæ magnitudinis in Orbe Sarmatico Planetæ, vinculo & nexu augustissimi Sangvinis commoti.

Prodeāt in apricū, & primo qvidē in Senatu corruscātes solio RYTWIANSCII, clarissimi in regno & Ecclesia, bello & pace, Curiâ & curuli Viri; veri pro Aris & focis Camilli, observantissimi Regū & legū Lycurgi. Huc accelerēt mente & animo agiles MSZCZYVII: non minùs magnanimitate cordis, qvàm industriâ cōspicui; huc MYSZKOWSCIORVM cum GONZAGIS, IEZEWSCIORVM eadem cum DZIERZGOVIIS Domus: pietati Religioniq; dedita; qvos cupiditas immortalis famæ in castris, gravissimis titulis Rothmagistrorum, Custodum, Nuntiorumq; ad hostilium turmas & phalanges honoravit. Recense Orbis Polone KEMPSCIOS in PłoCENSI PALATINATU; SZVLINSCIOS LVTOMIRSCIOSq; in DOBRZYNENSI TERRA; BEŁZECCIOS in RUSSIA; repete distincta & districta, ordine disparili per Districtus, Palatinatus ac Provincias, imò ultra Vandali climata ACCIPITRINORVM lumina meritis & virtutibus micantia, orbemq; Europidum illustrantia: BEYKOWSCIOS, CHMIELECCIOS, MACIEIOWSCIOS, STRZEMBESSIOS, RYCHŁOWSCIOS, NOWOMIEYSCIOS; aliaq; millena Nomina ac magnæ spei omina, qvæ singula si doctior Tullius Mercurij Musarumve elucidare velit astro, priùs Cimmerias mentis expert9, lippire satiùs, qvàm ejusmodi Soles tueri intueriq; valebit. Hos omnes & singulos ad suprema Honorū culmina GENTILITI9 evexit ACCIPITER, SOLEA erexit, CRUX rexit, VIRTUS sublimavit, HOSTIAMq; omnigenæ celsitudinis victimavit adeò, ut qvidqvid vel ad cunabula nascentis, vel ad feretra occumbentis solis, suprema terrarum circumluit Thethys, totum id illorum honoribus vectigali militat elogio. Concinnè hac in parte Anonijmus canit Vates:

Strenuus Accipiter pennis superantibus astra
Despicit, est humili quidquid in Orbe situm,
Is quoq; tam clarâ qui traxit origine gentem
Discolor, haud quando stemmatis hujus erat.
Dum parat æterno victuram tempore famam,
Nomine percrebuit notus utriq; polo;

Nā ubi aliorū gloria ultra limē non evadit, ijsdē senescit in cunis, in qvib9 nata; Vestrum Illustrissimi ACCIPITRES Nomen extra ipsos mundi exivit cardines ab ultimis terrigenis adoratum: etenim ubi extremus littora gemmeis perfundit conchis sinus Hydaspis, ubi ultimi Getæ arva incolunt, sive per extima Caucasi iuga, sive per altos Alpium vertices, eximiæ laudis succensi flammâ sursum æthera tenditis. Credendum Ennio: *Et simul ex alto longè pulcberrima prapes, læta volavit Ales.*

Et hæc tantorum Nominum amplitudo Tuæ hodie gloriæ incrementum Illustrissime PRÆSVL, tanta præcelsarum Domorum Synaxis publicæ felicitatis

citatis

citatis proles, hoc ACCIPITRIS sceptro munitæ Familiæ: Tuæ Infulatæ Celsitudinis præda; Præsulei Scipionis fulcrum, tanta panegyris tamq; protractus extra fines Orbis Sarmatici funis, tantorum meritorum Schinothenes: Tuarum laudum exordium, tanta Titulorum congeries, auges Nominis Tui, decus ARAQ; VIRTUTIS, HONORIS HOSTIA ac emolumentum probitatis. O Stupor! qvanta animi Tui immensitas, qvo cum maximorum MAIORUM comprehenderis imagines, adhuc locum reliqvisti vastum & Tui capacem. O latam & altam encomiorum immensitatem! gratamq; Superis cohortem ac Virtutum sobolem, dignam ab omnibus coli, diligi, foveri. Disce Orbis tanti æstimationem Viri, qvi probè didicit æstimari; disce non ambitioso intumescentem vento, non indulgentis fortunæ strepitu insolescentem, sed pretioso bonæ Indolis apparatu, exquisito probæ mentis ornatu: modestiâ, sapientiâ, animi magnitudine, probitate, conscientiæ integritate, humanitate, ac longo Virtutum rectèq; factorum ordine inclarescentem: perpende, adora, prædica. Hæ sunt Tuæ proprietates Rdmē Dñe, hæc innatæ Virtutis indicia; qvibus qvid jucundius ad aspectum? qvid svavius resonantiusq; ad auditum, qvid efficacius ad amorem, gravius ad Majestatem, illustrius ad splendorem, ad perpetui nominis conservationem præsentius; qvid ad magnificentiam augustius? ad ARAM VIRTUTIS probius, INFULATIq; HONORIS HOSTIAM beatius unqvam extitit, ac censor oculus spectavit. Non errasti, cum hoc medio sis usus, cum hoc iter ad gloriam delegeris; per hoc eundum, non per annos, non fastorum myriades, ad immortalitatē, nō volumina evolvendo, nec dierū lustra cōputādo: *Non esse mortale quod optares.* Numerosa enim dotum Tuarum ac meritorum corona suffragium æternitatis habet, qvæ jam faventes Clientum animos, jam miros ciet affectuum motus, ut in arcano cordis teneat, amore foveat, fide roboret. Magnum Te Tui veneramur, majorem fatentur cæteri, maximum prædicari restat; At si magnorum corporum ea moles est: prolixiores umbras jacere, ut qvo ipsa non deveniunt, sui testem imaginem protendant; qvid de Te censuero? Perculsa tantâ Majestate meditatio humi serpere assvetam exilitatē: umbras legere jubet, ut ex harum dimensione altitudinem Tuam qvoqvo modo intelligat, summa Tuorum talentorum capita recensendo. Sæculorum negotium: qvantus es? totum Te proponere; mihi non indecorum fuerit Iliadem hanc velut nuci includere, si pretium in Te & à Te, qvi dicentibus de Te plùs claritudinis addere, qvàm accipere possis, habuerit. Qvare mea hodie hæc reliqva pars est: totum me in Tuas effundere laudes; hìc me plenus timoris sollicitùs labor exagitat, ut dignitatem Tuam ex fascijs crescentem in Astra ritè prosegvar. Hoc illud MYSTES RELIGIONIS mihi proponit AMOR, ut cum Sanctuarium VIRTUTIS Tuæ intrare licuerit, libeat etiam HONORIS libari HOSTIAM: ad idem opus peragendum prodigus Tuæ gratiæ favor mihi calcar. Imples enim Vota, spes absolvis, auges lætitiam, vincis animos, dum Te profundis in humanitatem, sed ampliùs mā-svetudinem. Qvid ultra agendum? crescit Oratio se ipsa major, Tuis Virtutibus meritisq; exultans; qvò magis progredior, eò vastiori mole conclusum me sentio, non tam exitum, qvàm progressum expavescens: conari

namq; aliqvid inconditum? periculum est, procũbentem demissione stylum ad Sacram gratiosissimæ benevolentiæ ARAM litare; tam gloriosum, qvàm pium est: plurimis informato exemplis in Te inveniri, & qvod à Tuis ametur, quodq; timeatur ab inimicis. Amamus benignissimum Patrem, pijssimum colimus Antistitem, veneramur & reveremur ipsis Divorum proximiorem Aris Mystã; qvem constantem in adversitate, fortem in controversijs, firmum in proposito metuêre hostes, amicum adoravêre Clientes, Superi gratissimã sibi effecêre Hostiam. Qvota series præcelsarum Virtutum Tuarum! qvota encomiorum pars mihi nota est? & jam immensitate obrutus vela dictionis contrahere cogor. Augescunt merita, qvid agam ore tenuis? adolescit Virtus, qvid pusillus ingenio faciam? invalescunt laudes? enervantur vires, crebrescit inclytæ Domûs adorea? deficit Præconiastam Spiritus vivendi adeò, ut totus exanimis stupere tantummodò, non verò aliqvid proferre compellar. O suppeteret vtinam mihi tanta sermonis profluentia! qvantâ INFULATI HONORIS HOSTIAM deceret Tibi immolari; utinã PRÆSVLVM Maxime prout laudandorum gemmæ cum suo Erythreo circumfluunt Tuam præeminentiam, ita mihi compendiosè in unum coalescant! ut omnem tumentis Oceani fulgentem spumam divite eloqvio in decus laudesq; Tuas profunderem. Constaret etiam Orbi, qvàm sis inter Purpurati Cœtus ornamenta: aureæ diadema gloriæ, qvàm sis locupletiore successûs Tui gazophylacio in splendidissimos Ecclesiæ usus profuso: pretiosa gemma, in inopes Patriæ Accolas sufficiens pretium, qvàm sis Clero populoq; Tuo: purissima morum crystallus, ac integerrimæ Vitæ Tuæ intactus adamas; umbrã mortis scelerisq; qværentibus tenebras: illustrissimus Sol & sinè macula speculũ; infectis labe peccamin osi vir9: sal favusq; labia distillãs. Verùm qvandoqvidẽ modic9 eiusmodi opũ Orator, Te in prævalentibus margaritis Orbi sistere neqveo, talem exhibeo: qvalem unus totâ Nostrâ Vultus in Religione Te sibi gratulatur & vovet, cui inter plausus & exultantium animorum hilaria ea singularis felicitas, cum ei Tuæ præsentiæ annum gratiosum Pontificiâ benedictione indulgeas, in aurea sæcula victurus. Qvem enim illa vultûs gravitas & in gravitate comitas, qvem oris decor, & in decore dignitas, qvem totius corporis venustas, & in venustate integritas non moveret? Illicijs his omnium amores possides, hoc meritorum pondere in altum tolleris, in ponderis valore Tuæ magnitudinis pretium æstimatur, in hoc ærario cordium unio deponitur, in hacce VIRTUTIS ARA: HOSTIA INFULATI HONORIS consecratur, Tuisq; compar meritis victimatur. Non sinè stupore inqvirentium & tormento: natura ne, an par Tuæ Indoli educatio plùs Tibi tribuerit? hæc fieri dotum condecoramenta. Natura quidem satis conscia periculi, qvasi ad amoliendam à se publicam invidiam, tam liberaliter omnes suas opes in Te effudit, ut se exhaustam fateri non erubescat, publicæ considerantium disceptationi ambiguum proponens problema: nobilior ne natu sis, an ingenio? Nodum tam difficilem Tu ipse redivivus Macedo virtute laboriosâ solvisti, ut vota Orbis impleres. Qvàm ingens magnitudinis symbolum! cui prout furentis Gradivi machinæ cedit omnis amicorum veneratio, cui ut supremæ potestati cernuum

flectit

flectit poplitem, venerabũdaq; multoties alijs VIRTUTIS ARA condignã meritis: INFULATI HONORIS offert HOSTIAM. O grãde meritorũ pondus! omnem pretiosioris metalli prægravans arenã, qvo nihil non altũ, nihil non sublime parq; aut cõterminũ cælo efficitur. Hoc libramine elevatus Illustrissime Dñe Infulato vertice astrorũ tangis cacumen ita, ut vix videri, non item invideri possis, cui SERAPHICÆ RELIGIONIS CÆTVS hujusq; PROVINCIÆ TVRBA PAVPERCVLA, in tesseram Filialis Affectûs inviolatæque sinceritatis pretiosum ex cordibus conclave, ex animorum penetralibus Solium, ac de arcuatis cervicibꝰ humile erigit scabellũ;æternùm hospitaturo. Ascende jam itaq; hoc novum amoris Capitolium, intra pectoris arcana, exstructo jugali ascensu sublimiora Honoris scande juga: juges precantur Clientum affectus. Ego ubi Te in altius gloriæ levatum culmen, omnes eloqventiæ terminos transcendisse video; qvàm ut vel expeditissimæ Oratorũ pennæ asseqvi valeant, rudis Tuarum Virtutum Cultor mutus tacebo. Præcelsæ namq; probitatis ea est vis, hæc summa Indolis amplitudo, illud præclarè factorum decus, ut omnem laudantium absumant laborem, confundant facundiam, ingeniorum obscurent lustrationem: solum cultum pronâ instructum veneratione Divûm in morem admittunt. Qvare dum fatigata svada Nominis magnitudinem, Honoris altitudinem, Virtutum latitudinem, ac horum omnium latam altamq; profunditatem comprehendere neqvit, hìc fixa stat vivum Tuæ Celsitudinis datura monumentum; dumq; nihil Tuæ par Majestati de Te dicit, se ad ARAM gloriæ Tuæ: HONORI Tuo & Nomini dicit dicatq; victimam. Verùm qvid ita prona in exitum ruere videtur Oratio? nunc primò dicendum: hic labor, hoc opus est; novas reassume vires, qvas inerti dederas pigritiæ, novo dicendi animatus spiritu recentiori trade memoriæ, qvod Letheis submersisti aqvis. Culpabile in Te induceres nefas, si Illustrissimis MAIORUM Ceris congruum subtraheres lumen, grandemq; virtutibus irrogares injuriam, si eas haud publicæ restitueres luci, invincibili suffocando oblivione.

Liceat itaq; Tuam PRÆSVL VIRTUTIS frequentanti ARAM, HOSTIAM INFULATI Tui HONORIS in Sanctuario Aboriginũ Tuorum non tam celebrare, quàm adorando & orando intendere: novimus enim frigescere etiam sub purpurato Porphyriorum sangvine, quos haud calefecêre Majorum Ceræ; illi procul dubio supra humanæ vicissitudinem sortis evecti, queis fortuna Antenatorum debitum, non donativum extitit. Talem Te PRÆSVLVM Dignissime adhuc in cunis coluit Numen, infantilibus fascijs jam fasces innectendo Nobiliores. Nemo in Tuæ Domûs theatro emendicatis luxit ignibus, nam si beatâ sopitos pace Illustrissimorũ AVORUM, PROAVORVM, ATAVORUMq; inqvietemus Manes, vocalis famæ echo auscultantium intonaret aures, Virtutis lux oculos afficeret, animum series gestorum oppleret; SKRZETVSCIANÆ enim mentis Indoles: secum inferre aut facere lucem. Excelsa semper Nomina hanc implevêre Majestatem, nunquam tamen capacitatem exæquârunt, licèt singuli rectèfactorum mole, non tempore implenda numerarent, sed æternitatem in tempus còëgissent; ipsa amplitudine ampliores Vos, nullis circumscripta limitibus probè facta efformaverunt.

Primum Præcelsæ Domûs Vestræ ANDREAM PATREM Tuum Iudicem Sandecensem, verè tantæ virtutis fabrum, quam vindice ferro justæ Themidis sibi & Vobis in plano gloriæ exstruxerat; offendit calamus imò umbram offundit sepia impar tanto lumini efficiendo. Illius vita si æquiùs æstimetur? alma quædam virtutum censenda foret Palæstra: incredibili bonitate, altissimâ prudentiâ, æquabilitate perpetuâ, summâ pietate, eximiâq; animositate instructa. Si vultum gestumq; aspicias? legeres in oculis justitiam, in fronte animi constantiam, in ore dignitatem, in quavis actione omnis bonæ admirationis fidelitatem, boni publici zelum ac legum custodiam. Parem ubiq; sapientiâ Cæsari, libertatis studio Bruto, magnanimitate in rebus gestis Scipioni, in Areopago æquitate Soloni, pietate Religionisq; cultu Numæ Pompilio: imò his majorem cernere credibile; quem etsi terris eripuêre fata, cælum virtꝰ haud possidere negavit; Meum inde esto epitaphiũ: *Vixisse illum ad desiderium populi parum, ad res gestas satis, ad memoriam operum semper.*

Post pijssimè defuncti PARENTIS præclarè gestorum contemplationem, liceat etiam PRÆSVL & MATRIS Tuæ scrutari virtutum penetralia, ut vel exinde meliùs Tuæ ARA VIRTVTIS reverentiam, INFVLATI HONORIS HOSTIA suæ sumat CONSECRATIONIS conservationisq; approbationem. Venit hæc è longa meritis, lata altaq; dignissimis in Patria Honoribus ZVKOWSCIORVM Linea, ACCIPITRI SKRZETVSCIORVM Accipiter, ut aurum auro: magnis ejus dotibus non minora prudentiæ, sanctitatis, bonitatis omnisq; probitatis addidit cimelia. Nihil in ejus juventute puerile redarguit Momus: in ACCIPITRE decorem, in SOLEA stabilitatẽ, CRVCE nonam ferè reliquit annorum decadem, meritorum plús quàm centuriatam myriadem computando. Secundo Matrimonij voto Eam suo junxit affectui GAWRONSKI, verè suo Gentilitio Virginem PORCO, Capiti Manum; non jam in rubeo campo, cæruleo aut viridi vestitam colore, verúm cælesti pudicitiâ, puritatis ac integritatis adornatam flore, insuper animi constantiâ & fortitudine. Nec PAWŁOWSCIORVM LILIIS ademit candorem, in adulta licèt vitæ protractioris ætate tertio copulata voto, omnigenæ probitatis gemmavit vite adeó, ut Minervam prudentiâ, Artemisiam amore, Penelopen fidelitate, Penthesileam animositate, omniq; ex parte ab ipsis dotata Superis, etiam Charitum gratias muneraq; Pandoræ superet virtutibus. Et ubi vehi fingebantur: Cybele leonibus, Ceres draconibus, Venus columbis, Iuno pavonibus; Illam veriùs censendum suo volare in altum gloriæ ACCIPITRE. Nomine enim Mare, quia MARIAM, re plenitudinem totius beatitudinis continendo. Cum tantam seriem rei vix mirari, non autem prædicare concessum; ego Tuo elogio Magna MATER illud expono votum optans: *Vt vincas Pilij secula multa senis.* Et ecce Illustrissime DOMINE vix meritoriam Tuorum PARENTVM licuit aggredi ARAM laudaturo, funeris ei Hostia parentatur; cum tanta gestorum mole impotentium obruatur exilitas. Quid ultra tenuis proficiet Elogiastæ audacia? cum tantorum neqveat sufferre augem; quid adhuc Avias, Atavias de mortis excitet somno, ipsa ignorantiæ lethargo oppressa. Desinat jam itaq; PIASECCIORVM excutere pulverem, nihil gesserunt,

arenæ, æternas ubique & semper meruêre laudes. Viri pacis, ferventis belli tempore, coronides Patriæ: literis & jure, Marte & Arte, Saturnum ac turbulentum Iovem concordiâ ligantes, in PODOLIA firmum virtute ac meritis Illustrium honorum suæ Domui figendo fundamentum. Ex horum Familia ob immensitatem probitatis haud licet pios AVIÆ Tuæ reaccendere cineres, ex qvibus elicitæ scintillæ lumina extingverent Oratorũ, Chloris liliati nitoris flores confunderet eloqventiæ. Ast ipsa SKRZETVSCIANI Nominis cohors, qvantam dictioni inferat molestiam, Patrio soli qvantam opponat præsentiam suiq; Majestatem? haud eloqui fas. CAROLVS SKRZETVSKI gravitate judicij arbiter, militari experientiâ heros, animi industriâ singularissimus Vir: maximam sui reliqvit memoriam. IOANNES communis egenorum Pater, pupillorum Patronus, Ecclesiæ Propugnator, Divûm Promotor, Nostri Posnan: Conventûs Mecænas ac Protector: quàm gravi meritorum pondere Patriam oneravit & ornavit, ejusq; fines virtutum coronâ pulcherrimè cinxit; funis posteritati innexus, non à qvolibet explicandus Alexandro. Sed cur mortuos vivificem? sat eis vitæ avitæ virtutis decus, satis gloriæ, quam toties in hostium cervicibus, in Astreæ mẽbranis, in Iani Templis, victore ferro, authẽtico calamo, pacatiore dextera: cuderunt, inarârunt & roborârunt. Nunc ipsi censorino Catoni nota, Vobis superstes exsurgat virtus; dicite: quot titulorum serenitatibus, rectè gestorũ splendoribus Septẽtrionis accẽdistis Orionem ILLVSTRISSIMI DOMINI, ortum semper gloriæ, nunquam occasum respiciendo; dicite: quanta Domûs Vestræ amplitudo? cui Patrius vix sufficit orbis. Agnoscat Posnaniensis Horizon, quàm plurima in se contineat astra, jam in Sagittario ingenij acumine, jam mentis splendore in Geminis, jamq; circa bonum utile laboriosis conatibus in Tauro, ac in Leone animi fortitudine, micãtia; perpẽdat & Polonæ Aqvilæ nidus Distric⁹ Gnesn: qvot in suo sinu SKRZETVSCIORVM ACCIPITRES educavit: ubi qvosdam de SKRZETUSZA ipso nominis etymo alacres omni ex parte; alios de IELITOW, in bellicis expeditionibus labore, sumptibus in Ecclesias, ac largâ in pauperes profusione eviſceratos; cæteros de ROZNOW arte & ingenio penetrabiles, industriâ & excellentiâ animi insignitos, ac insignes spectare unicuiq; placeat. At licèt ob imbecillitatẽ virium impedimentumq; lingvæ dicentis, haud omnes & singulos eloqui possibile; degentium tamen oris in Craci: ori verba dedit virtus, animavit favor, firmavit formavitq; facundiam fortitudo, fæcundâ probitate. IOANNES ille SKRZETVSKI in KRUZLOWA, sui Nominis vocabulo præsefert Gratianum, propriæ gloriæ artificẽ, Fabriciumq; Honoris repræsentans; geminam suæ ALITIS enixus prolem; cælebs, neqvaqvam sterilis Virtutum extitit Genitor. BARTHOLOMÆVS in MIETNIOW bonum clementiâ in subjectos repræsentat Nervam, concordiâ amoreq; boni publici non impar meliori Octaviano, zelo ac justitiâ optimum excedit Trajanum, alter Vespasianus munificentiâ, Titus deliciæq; hominum, ex cujus beneficentia non secus ac Nilo haurire licitum. Influxit hunc & NAVICULA KVNOWSCIORVM pretiosissimis Virtutũ onusta cimelijs; qvæ jam favẽte cælo hujus fluminis qvatuor investigavit ostia, supplex corã DEO Exorator,

 tria

tria adhuc vovet producenda. Nec Noster SERAPHICVS Orbis diem perdidit, adinvenit eum hac in Domo adhuc in aurora, DEO adjuvante in meridie gloriæ boniq; Religionis, ubi in tenerioris vitæ progressu Tua Illustrissime PRÆSVL PATRVI sui matura & grandæva meritis seqvitur vestigia. Non memoro magna reliqvorum Nomina, eorumq; qvibus ora & oras adimplêrunt, virtutes nec meminisse qvit Orator, satis Vos SKRZETVSCIOS tales dixisse, qvales habuit Troja Rhesos, Roma Augustos, Orbis Palantes numeravit. Hoc ipsum mei vices supplens SOLEA & Vester vigilans ACCIPITER cum campanula sonat, hoc CRUX in Vobis præsagit, hoc aureæ eqvi calces expendunt, ut boni Vestri Custodes, bonorum Vestrorum secuturis nominamini temporibus. Cæterùm dedecet Colligati sangvinis purpuram Letheis oblivionis tingere fluctibus, innexuêre huic pulchrè Illustrissima Familiarũ decora, commigrârunt hanc in Vnionem tot Domorum sidera sole splendidiùs corruscantia. Videre hìc licitum ingentem maximorum Titulorum cohortem: BEŁCHACCIOS, GVRZYNSCIOS, SZVMANCOWSCIOS, CZARCOWSCIOS, DZIALINIOS, ZVBROVIOS, SĘDZIMIRIOS, STRONSCIOS; & si ab alto perpenderis, hùc ibit integer Sarmatici Poli syllabus. Singula hæc cogitationes ingeniorum excedunt, in Te clauduntur & sese depingunt, ut in Patheo Numina. Hæc inqvam Tuorum MAIORUM vestigia, Tuæ vitæ sũt hodie exẽplar PRÆSVLVM Meritissime, qvòd statim à primævo ætatis Tuæ secutus lucifero, ad usq; nunc maturioris vitæ pervenisti meridiem, nunqvam rectitudinis à proposito deviando tramite, ad probæ integritatis Virtutibus collimâsti terminum.

O progeniem ab ipsis Superis, Optimis PARENTIBVS invidendam! ubi plurimos proh pudor! recto vidimus Antecessorum aberrasse calle, Te non sinè stupore eodem, qvo MAIORES Tui præcesserunt itinere: non tantùm progredi, verùm etiam ultra rectèfactorum sphæram egredi cernimus. Regali aqvilarum nido imbelles sæpiùs columbas, aut lippientes evolasse noctuas, qvibus magis tecta, qvàm sub puro Iove placeant stativa: non modò arbiter spectavit orbis; forti leonum toro, non rarò pusillanimes provenêre lepusculi, qvi non ipsum Martis clangorem, sed & levem lemurum expavescant sibilum. Non ipsos tantummodò Leda educat olores, eodem in flumine inermes reperiuntur anseres, verùm non Romani Capitolij: qvibus svaviùs paludes, quàm liqvidæ arrident Caistri lymphæ. Vetus id magni Sangvinis apostema: corruptam degenerum saniem luci profundere; totiesq; stupuimus nobilibus Luciorum cunis, deformes moribus & factis prodijsse Thersites; Bonarum fascijs, non semel pessimam exhorruimus evolutam progeniem; cum hic sit naturæ ordo vitæq; pravitas: illustribus obscuros, nobilibus ignobiles, tanquam pediseqvos subordinare. Aliter Te PRÆSVL Faustissime creârunt Superi, aliter natura instauravit, PARENTESq; orbi progenuêre; adhuc tenellus, & jam Magnus apparebas, necdum formaveras gressus, jamq; PRÆDECESSORUM seqvebare rectèfacta, vix vagiebas, & jam ubiq; audiebaris virtutibus clarus, nondum dotes Tuas loqvi poteras, & jam frõte explicuisti facilè percipientib⁹: qvalis qvantusq; esses futurus. Suxisti cum Materno lacte candorem, pleno ore MAIORUM

cum

cum ſangvine imbibiſti verecundiam, hauſiſti ad ſatietatem orbis venam omnigenæ probitatis: virtus ipſa ut argumentoſa apis omnem innocentiæ ſuccum in Tuis labijs diſtillavit. In cunis adhuc, jam ſupra cunas, canos prævertens, dediſti fructum, ubi alij vix flores pollicentur; annis merita, ætati animum præmittens, cunctatricis naturæ deriſiſti ſegnitiem. Qvam gloriæ ſemitam prævius calcavit Æneas, puſillus ſectabare Aſcanius, & cum magno Annibale immortalitatis arripuiſti ſtadium: tātò futurus Maximus, qvantò majus notumq; COGNATI Tuæ Indoli præſcripſerant prototypon. A purpureo rubētis Phoſphori ortu, pretioſas aureo jubare diei metimur horas, à ſereno evigilantis Phœbi riſu, nullis aſperandum nubium rugis ominamur meridiem: ita ex primo infantilis Tuæ ætatis flore, futuræ vitæ ſunt colligendi fructus. Prodidit ſe ſtatim ab ipſis Iuventæ annis Tua virtus, ipſaſq; cunas bono ſpei fæcundavit rore, & qvid acturus ſis Vir, Puer patraſti, ſecuturæ ætati tenerrima prælucebat infantia. Nec aves ſinè voce, ubi loqvendum augurijs, qvòd non reptaturus eſſet Marius, in pueri ſinu viſæ nuntiârunt aqvilæ, ſeptieſq; futurum conſulem, ſeptem Regiæ ſtirpis prædixêre volucres; Tu qvalis qvantuſve poſt ſis, talem tantumq; Gentilitia AVIS Orbi declaravit, qvàm enim magnanimæ Indolis eſſes, priùsqvàm Lucina luci Te dedit, ACCIPITRORVM gremio aſſociavit. Qvàm egregiè Pontificium ſcipionem manu rotaturus, turritumq; vertice impleturus fores Tiaram, bicornis SOLEA præbuit ſigna, ſtatim ab ipſo MATRIS utero illi aſſveſcendo, ſolida Virtutis veſtigia expreſſiſti. Anteqvam Mater pareret S. GREGORIUM. II. Papam, viſa eſt ſibi parere tiaratum, Te Tiberinus Chiromantes talem præſenſit, qvalem nunc Virtus monſtravit; utq; meliùs pectore Præſuleam geſtares crucem, CRUX Tua normam dedit. Felicem bonumve ACCIPITRIS omen! ſi me tunc natura daret Orbi ſuperſtitem Te naſcēte, uti nunc tantos Seraphico in Ordine, ſcintillantem virtutum radios me circumſpicere conceſſit; acclamantibus olim Dario Aſtrologis, id ipſum de Te univerſo vivâ voce propalarem: *lumen lumen naſcitur.* Ploret in cunis Fortuna Galbam, cæcum Numen ſuam his unionibus cupiens redimere ſervitutem, indignum illi ancillari arbitrata, qvi ſibi Dominus non erat futurus: hac ipſa re fulmen minitans Aventino; Te naſcènte Auguſto cæli tripudiant, terra exultat, Noſtra Religio alterum Xti amore flagrantem ſibi gratulatur Seraphinum. Arſiſti ſtatim à faſcijs in DEVM alter in bella elephas, qvia Aviti Te purpura Sangvinis irritârat, reſpuiſti lacteâ innutriri promulſide, dum ſpes tantæ eminentiæ animum, aureaq; futuræ Conſecrationis poma avidiorem guſtûs moverent orexim: ingentes enim animæ (teſte Avancino) prima ſtatim luce animum perſtringunt. Qvare immenſam elogiorum Tuorum circumſpicienti diſpicientiq; pleniùs vaſtitatem, in primo ſtatim aditu horridus incurrit tremor, imparesq; tantæ ſuſtentandæ laudum moli confundit lacertos; publicæ tamen lætitiæ conſenſus, INFULATI HONORIS Tui HOSTIÆ applaudentis, animum venamq; dexterioris auſus ſuggerit, ipſa qvoq; magnitudo rectèfactorum miræ juncta manſvetudini, facit de ſe ſcribendi dicendiq; liberiorem licentiam.

Ab infantilibus jam itaq; cunabulis Sacratiorem VIRTUTUM Tuarum ARAM

altiùs, qvia in puerili ætate aſcendo propiùſq; accedo, ubi arrepto ABORIGINUM Tuorum calle, bonis avibus, qvia prævio ACCIPITRE, ſignatus CRUCE, Soleatuſq; ad æviternam perennaturi Nominis gloriam generosè gradiebare; non retrò ceſſiſti, qvouſq; optatum bonæ ſpei tangeres Latium. Qvātò Tu generoſior audentiorqve, qvi annos non expectans, non tantùm Progenitorum Tuorum glorioſa operibus digniſſimis facta imitatus, menſurā Virtutum implêſti: verùm multò magis ſupplêſti. Non tam fructus arborum naturam, qvàm Te PARENTVM Tuorum Virtutes adipiſci credibile: non vultum tantùm, ſed & formam probitatis, non corpus, ſed etiam elegantiam dotum, non cor, aſt & animum qvoq; ferre congenitum communione naturæ: nedū ſangvinē in venas, ſed tā induſtriæ, qvā rectitudinis in mētemtr ansfuſas liberaliter explicādo. Ita eſt PRÆSVL Digniſſime, editæ in apricum Aqvilæ genitoris ungve ſuſpenduntur ad Solem, & omnium avium generi imperaturæ: lucem intueri docentur, & diſcunt; ſic provida rerum parens natura immaturam adhuc, qvanqvam non imparem ſuæ Indoli conchạm, ſoli patentem cælo aperit, ut à Sole gemmeſcat. Degeneres à ſuorum Prædeceſſorum veſtigijs animos timor arguit, nobili virtuti hæc debetur recommendatio laudabilior fama: ad excelſa per declive, ad ardua cum periculo niti, durioribus eniteſcere, faciliora aſpernari. Prodit ſe qvippe virtus & animus magnitudinis capax etiam inter faſciarum nexus, nec opus eſt prodigijs, ut Virtuti & excellentiæ eorum fidem afferas, qvi auguſti ſemina honoris, Sangvinem Nomenq; ipſum nobile à Parentibus ſortiuntur. Ipſi tantùm Servio, cui ſervum contigit genus, & nulla Nobilitatis claritas affulſit, opus eſt nitentibus caput circa radijs, ut Tanaqvil felix præſagium rata, Tullium nutriat in Regem. Tu PRÆSVL Illuſtriſſime optimam qvamq; adæqvâſti felicitatem: & auſpicatâ Tuæ Nobilitatis ſorte, & arcanâ deſtinatione Numinis; etiam prodigioſi in cunis Tibi fulsêre ignes, tantòq; Veſtalibus diviniores, qvantò magis ſacratiorib9 flammis, cor & mentem ad immortales inflammârunt auſus, & Sacroſanctæ fidei gratiam imis Tuis inſtillârunt præcordijs. Ille eſt Tuæ probitatis genius, etiam in parvo nil exiguum, niſi corporis molem præſeferre, nil exile, præter ſpiritum nondum ævo confirmatum monſtrare, nil puerile inter ephebos, præter ætatem exprimere, clariùſq; Virtutum Phæbo lucere: in anguſto auguſtum, in arcto vaſtum, in tenui inſigne, & maximæ Virtutis referre documentum. Indoles illa generoſis deſtinata actibus, jam in teneris exceſſerat artuum compagem, priùs qvodammodò capax ſapere, qvàm apta, priùs docta, qvàm inſtructa, perſpicacem qvādam intelligentiæ methodum, & incredibilem animæ argutiam, in ipſo velut exortu, optimè non abſq; ſtupore ſpectantium evolvens diem meritorum, ſpecimen probitatis, virtutumq; meridiē explicans. Verū eſt Illuſtriſſime DOMINE meridiem in aurora ſpectamus, autumnum in vere delibamus, æſtatem ſinè hyeme ſentimus, in algore tenerrimi ſpiritûs, Lyparam amore Divino flagrantem patimur, in flore fructus carpimus: qvoties magnæ in lucem prodeunt animæ. Ignorat tarda molimina fauſtior feſtiviorq; magnanimitas, cui Superi impigrum alacriuſve cælo demittunt cor; neſcit infeſtis infenſiſq;

nobilior

nobilior Hebe occupari ferijs: maturum eſt, cui Phœbus ſplendidius affudit lumen, cui Titan meliori fingens luto præcordia, dignum metatur hoſpitium, quod ſuppar incolat habitator animus. Talem Te eſſe decuit, qvalem & publica omnium expectatio ſibi promittebat, & privata pollicitatio exoptabat; pulcherrimam communis ſponſor felicitatis ſpeciem non vano lactans augurio, aſt certiori augens futuræ ætatis ſucceſſu, dejectas omnium ſpes in altum erigendo. Nempe illuſtres cæloq; cum ſint deductæ mentes in mundi convalles, alta petunt, nec ſtudio impares, nec virtutis progreſſu fieri volunt, nihilq; non humile haud agere natæ, efficiũt: ut vis illa multiplex, utq; in omnem partem, vigor gloriæ promptus & vividus, congenitus ſibi, ſeu infuſus deſuper, ad apicem uſq; mortalium celſitudinis ſemper emineat. Hoc illud eſt in Te mirandum, qvòd Tuos ſupra annos, non ſupra animum, ſupra mollioris ætatis teneritatem, non ſupra Indolem, ingenuitatem ſupra judicium ſpectantium, non ſupra Tuam capacitatem, innumerabilibus excellentioris Virtutis decoribus adornatum, in unico Tuæ probitatis typo, velut in qvadam gemma, totum Parnaſſum artificiosè elaboratum repræſentavit, non ſinè admiratione ſciſcitantium, qvãtus olim fores, qvi jam animo longè ævum expreſſeras. Etſi jam qviſq; fatetur omnia, ut mens imbuta interiùs, nec laus moribus diſpar inveniri poteſt: qvantum bonum in Te ſitum fuerit; cognoverunt, qvi magna ex merito neſciunt non æſtimare. Immenſitatem Tuam, qvam in Virtutum Tuarum ſpeculo cordiſq; penetrali licuit cuiq; metiri, ad calculum tamen revocare ne ipſe Archimedes ſuffeciſſet. Sed ad qvid longâ rem inſinuem phraſi, ubi vel ipſum ſpiritus deficit Oratorem, freqventato invaleſcente meritorum elogio: ſatis talem dicere, qvalem Te orbis vidit, honor coronavit, cælum adoravit. Ipſo etenim Illuſtriſſimæ Domûs Tuæ decoratus ſplendore: vix aſpici, non item de integro curiosè circumſpici potes; ipſa Volucris vix ſpectari, quàm calamo eruditorũ ſectari qveat, ipsâ ortûs ſublimitate fultus, illum gloriæ occupas locum, qvi ſumma qvæq; ac ingentia complexus eſt. Illam Tuæ Virtutis Aram non niſi prono poplite, & arcuatâ in venerationem cervice adorare permiſſum; illam Infulati Honoris Hostiam, qvam Tibi Mystes Clientum obtulit Affectus: colere, qvàm excolere, venerabunda præcepit ſubmiſſio. Eò uſq; ſublime meritorum aſcendiſti acroterium, cunctam in ſe continens eminentiam: ut qvidqvid Noſter SERAPHICVS ORDO ſelectiſſimum habuit, venerabile coluit, amæniſſimum ſuſpexit; qvidqvid præexcellens vidit, aut videre & diu venerari revererique; peroptat: in Tuarum confluat ſplendorem gratiarum. Felicem progeniem! fruſtra ſe Aurelia jactat Iulio, qvando aurea Mater: plumbeum, qvia gravẽ Civibus peperit filiũ. Cedat hìc crudeliſſimi Agrippina Neronis, Cornelia Tiberij, Olympia Alexandri, Alcmena Herculis; ſola hìc auguſtior MATER Tua ſucceſſuris innoteſcat ſæculis, qvæ Te talem tantumve Orbi dedit. Verè ANDREAS Xti & Domûs Cruce: donum DEI mundo, qvia CHRISTOPHORVM, qvaſi CHRISTVM in ſe ferentem; MARIA Nativitatem DEIPARÆ venerata: Mare gratiarum Religioni, qvia ADRIANVM reliqvit.

Tātis jam privilegiat⁹ dotib⁹PPRÆSVL Digniſſime morari ad Paternos lares ingloriū Virtuti Tuæ judicaſti. Erūpis domo, ut è nube Sol Orbi nat⁹, Academiā petis, Virtutū Academia, Almā Vniverſitatē accedis, omnis complex probitatis, doctiores intras lucos, lux orbem illuſtratura, diſcis literas, literatorum futurus negotium, vertis folia, ipſiſmet brevi evolvendus. Qvàm facili & felici viâ proſecutus eruditionem, nemo dubitet: ingenij claritate omnes Diogenis Ariſtophaniſq; lucernas extinxiſti, nec tamen ibi Parnaſsū ſomniâſti. Exemplis aliūde deſumptis non egebas, ut inſtrueréris, ad accenſas Majorum Ceras vidiſti, & in Te traxiſti, qvæ ſunt peroptima: hac facilitate felicitati Magiſtrorum & gloriæ conſulendo. Ibas de Virtute in virtutem, nullo Orbilio ferulam tenente, vel Cæſuram Servio Sulpitio minitante, inter has verò diſciplinas, indiſciplinatus nunqvam apparuiſti. Humana diſcebas, divina bonis exēplis alios informabas, ita incubuiſti literis, ut deſes non jaceret Virtus, amplexus Muſas, ſed non Tibullo familiares, audiſti Apollinem, ſed qvi ſeqvendas non moveret Daphnides, placuit Tibi Minerva, qvæ non acriùs contra ſcientiæ, qvàm innocentiæ, rebellem fulminaret Phlegram. Hauſiſti ad ſatietatem ex Dialectices fontibus, nunqvam tamen ad tumorem humorēq; arrogantiæ, qvē nec Iovi affinis ſangvis inducere poteſt. Horruiſti acumen, qvo ſagittaretur probitas, ignarus conceptuum, qvi mortem generarent Sanctimoniæ, ſcandebas carmina, ſed non Oveni, callebas doctioris Phœbi lumina, & ad æſtuantes Averni Sirios nunqvam calebas. Didiciſti in Grammatica declinare à malo, & facere bonū; in Parva, nihil parvi apud Te erat, Infimam humilitatis amplexus alumnam, inde ad ſummum omnigenæ probitatis promotus gradum, Syntaxin juxta Regulam politioris emendatioriſq; vitæ proſecutus: nullam Exceptionem, præter vitiorum admiſiſti; ſemper apud Te veritas Verbi Partis, mendaciū generis fæminini. In Pòëſi nunqvam claudicantem egiſti Vulcanum, ſolidè Soleatus altiùs Pegaſo, Tuo innixus Accipitri Pindū gloriæ contēdebas. Tandem in Humaniorum Palæſtra, nihil non humani, nilq; moroſi paſſus: cum Platone nectar eloqventiæ, cum Ambroſio conceptuum mel, cum Bernardo ſenſuum ſentiens dulciaria, imbuendo cordi profundebas ejuſmodi ſvavitates. Nec Te latuit Supremi PROFESSORIS Rhetorica, in qva Tibi non deerat præcipuus tropus Metaphora: à vanitate mundi ad cælum trāsferendo, tanqvam à rebus inanimatis mentem Tuam, divinam indies contēplabare bonitatem; nunquam ſub Allegoria virtutis vitia tractabas, in eis Rejectionis figurâ uſus, ſemper Repetitionem probitatis adamâſti. Copulam pravæ converſationis deteſtabare, qvæ virtutem abſcindit, fugiſti conſortia, qvæ fugant DEVM; contentus Sodalibus, qvos cælum humaniſſimè ſubmittebat, his ut vacares, ab illis vacabas, ibi totus, ubi nulla pars criminis, ibi freqventior, ubi rarior culpa, ut ex tali comitatu facilè eximiam Tuam Indolem orbis æſtimaret.

Et ubi jam exhauſtus viribus ſtertere compellar, en iterum PRÆSVL MAXIME nova Tuæ vitæ norma, novos dicenti ſuppeditat Spirit⁹, non ſe ſinit deſtitui encomio ſacratior Virtutis Ara, brevi Tuæ Indoli Infulati Honoris Hostiam cōſecratura. Peractis igitur Studiorū, olympijs, relicto tali geſtorū ſpe-

cimine,

cimine, cum nec mund' tantos splẽdores, nec Tu mundi tenebras ferre valeres, Sacro ASSISINATIS Amictu illustriorem Astris velas probitatem, in qvo omnem sæculi pompã, vel ut fumum derideres, vel ut cinerem proculcares. Qvid tamen agis novelle CHRISTI Athleta? mundi spernis favores? proculcas divitias? omnem sæculi tumulas apparatum; qvæ utilitas solitudinis Tuæ publico commodo? qvis miserabundæ Patriæ fructus? qvod fulcrum & lucrum erit. Ast optimè egisti Nobilis Adolescens; nôsti inter mundi favores furores, in divitijs pauperiem, in decore vanitatem; non ignarus in privato magis prodesse publicis; in deserto, pio in DEVM jaculo, melius dari suffragium Regnis, qvàm diserto piaculo naufragium eis pessimum præparare. Scivisti & inter Religiosæ vitæ oleam, non rarò pullulare Cupressum, hosti vittam invitam contexendo; adhuc inter Palladis laureas, non Te latuit triumphalis Gradivi palma, simul semelq; Palladem & Bellonam accersisti. In teneriori licèt ætate bellaci gladio acuebas calamos, formabas in pagina characteres, qvos olim in campo Martio gloriosus Victor imprimeres. Enodabas Curtium, jamq; cum Alexandro instruebas acies, fundebas valla, sternebas gentes, orbem subjugabas. Necdum tractâsti Tacitum, & jam vocalissimus Scipio, vix Livium vidisti, & jam livebat Carthago Te sibi decẽnio ad aras cõjurãte Annibale; in Ennodio Gordiũ, in Floro gloriosum Te depinxisti. Evolvebas Maronem, & jam è Trojæ favilla accendebas animum, eruebas trophæa, Æneam SERAPHICÆ Turbæ redditurus. Iamq; devicto mundi Tyranno, accedis SERAPHICI PATRIS Ordinem, fomitem doloris in corde PARENTVM accendendo. Qvid tamen qværis nodos? nodus futurus Plinijs, qvid arctis artus catenas nexibus, nihil dissolutiùs egerunt, præter nimiam sui abjectionem. Ingressus Noviciatum, jam maturam professus Virtutem, omnium stupor & exemplar. Desijsti mundo vivere, ut mundus DEO viveres, ad ima Te dejecisti, ut in altũ eò magis virtutibus proveharis; sancitum: ut in SERAPHICIS ignibus cum Tuo Accipitre Sarmatia ardeat, & ex MINORVM Ordine, maximam gloriæ sortiatur augem. Non Te deterruit austeritas vitæ, non labor, nec incommoda; primus ad qvæq; exeqvenda, aliorum obseqvijs deditus: omnia ex asse, omnia ad amussim peragebas. O virtutem supra vires, qvia supra annos! qvis unqvam talia Veteranus Macedonis? qvalia Tu bis septennis Xti Tyro exeqvebare. Qvantum delicium illius seniculi piæ memoriæ BENEDICTI FIBICOVICZ pro tunc M. Novitiorum! apud omnes amatissimus & amantissimus extitisti: magnes ut ferrum, terræ ut atomos sol, Tu omnium corda attraxisti, felicior Cyneâ, qvi non urbes, sed animos ad Te coègisti. ADRIANI Nomen suscepisti, futurus Adria virtutum, tanqvã hoc spatiosum vitæ æqvor, nemo meliùs, qvàm Tuus possit transfretare Accipiter. Ipso annuente Cælo ejusmodi in Tuam tutelam commigrârunt Indigetes, CHRISTOPHORVS CHRISTVM ferens, ADRIANVS Mare Gratiarum MARIAM designando. Iamve post illud innocentioris vitæ examen, qvam ut aurum Lydio probasti, pendes totus FRANCISCI Fune probissimum scelus, delicatum molestiori Cilicio castigas corpus, cur? nihil deliqvit; avocasti toties cæteros, sed à scelere, animos exhibendo meliores,

 in hoc

in hoc maximè reus, qvòd in nullo valeas accusari. Cum talia crimina ageres, videri sinè crimine potuisti, multos desperando, plurimos peccare, sed virtutibus cògisti invidendo. Heu tanti excessus plectendi! tollendi, sed Majestatibus, publicandi ætatibus, sed ad venerationem; saccum servando, claustrum observando, virtutum prævidens pretia, minimè istis à fure timendum divitijs, jam earum custodiam commendâsti modestiæ, perire neqveunt, noscuntur ab omnibus, eripi non possunt, rapere possunt in stuporem. Stetisti nihilominus fortunatissimus mortalium, humanis casibus altior, ruinis erectior, mortibus vividior, inter ignes frigidus, inter nubes serenus, inter undas aridus; stetisti in FRANCISCANA Penula sinè penuria, FRANCISCI apprehendisti Regulā, brevi ipse FRANCISCANORVM Regula futurꝰ. Frustra in Te ætas distingvēda, vel Tibi se prudētia infantē, vel Ipse Te prudētiæ senē effecisti; cōsilio sēper senex, innocētiâ infās. Votis obstrictꝰ simul ac fascijs, inter hæc vincula non ingemuisti, nihilq; sibi licere persvadens, præter conscientiæ integritatem, hanc ut securior teneres, ab obseqvio Numinis nunqvā Te evinculâsti. Sic Laribus in Craci omnibus notus, virtute clarus, mitteris Posnaniam, ut Tuos illa plaga disciplinatos cognosceret mores; qvantum hìc reliqvisti mærorem! ibiq; qvantum implêsti theatrum! qvantus omni monstratus in circo, ad cæterorum ideam invidiamq; extollebare, assensu omnium, omnium plausu exceptus; at qvantus maximè supra æmulorum conatus assurrexisti. Constitutus itaq; ad Vartham, custodiri haud probitas indigebat, Tu vel Ipse ejus excubias suscepisti. Illi Emeritissimo Patri ac ejusdem Conventûs Maximo Promotori ALBERTO ZAVADIO qvantas delicias Tui intulisti! qvanto amore Te prosecutus, Tu Ipse nôsti. Iterum Palladē salutas, & ecce depositâ divinitate hospitem adorat, Philosophum agis, qvi jam moribus philosophari didiceras, triennalis cursus non discipulūTe, sed Magistrum vidit, qvodsi Discipulum & Auditorē, certè talē, qvalē habuit Plato Stagiritā. In Dialectica non tam tres operationes intellectûs, qvàm omniū probitatum Summam facilè in Te compendiâsti. Inter Logicales sentes, Ipse acuminosum in forma intellectualium & moralium Virtutū argumentū, erasq; grande subtilissimi SCOTI Subjectū & Prædicatum. In Physica & Metaphysica propter exactam cognitionem cælestium & terrestriū, abstractione mentis à materialibus & mundanis Cælum petisti; in Animastica Ipse anima, ac planè plenèq; intelligentia cælestis videbaris. Ethicam ipso exemplo practicâsti, ostendendo Philosophiam non in sola raciocinatione sitam; falli eos putabas, qvi sicuti Architæ crepitacula, clamoso Sophismatum garritu, ac importunis jurgijs, ut sibi videantur sapientes, pyrasticam nec loco, nec tempore debitis exercentes, benè excocta maturioraq; tētādo ingēia, inqvietāt; ac de minimis reculis locustisq; Entiū amplissimas proponunt Theses, magis stomachum suâ proterviâ, qvàm difficultatem permoventes. Ac neq; Tuam Virtutem Patria cæpit, excedebas Poloniâ, qvòd illā excesseris; compulit Te ardor discedendi ad exteros soles, non ut sub illis caleas, verùm aliqvid calleas, non ut accendaris illicitis, amorem Patriæ extingvēdo, verùm extincto ejus pravitatis foco, DEI amore illā accendas. Priusqvam adijsti Romam, illuc famam præmiseras, celebritate

Nominis

Nominis notus omnibus, anteqvam vultu; necdum ibi rerum miracula vidisti, Ipse novum Orbis & Vrbis miraculum, omnes in Tui admirationem cõvertisti: cunctorum æstimatio altiùs ipso Te extulit Qvirinali Tarpeio, effusior in Tuas laudes Tiberis exundavit, ipsa qvoq; eximia ingeniorũ Capitolia Tibi sese cæperunt sternere. Vix Lycæis accessisti, intumuerunt: accessit namq; conchæ gemma, soli radius, coronæ adamas; qvis, qvantusve olim esses? ipsæ laureæ de Tuo certãtes vertice, demõstrârunt. Non sic IoveCreta,Chirõ Achille, MacedoneStagirites,NeroneCordubẽsis, ut illa Palæstra Tuâ inclaruit Indole; qvibusdam enim opprobrium minerval erat, coronata instituisse monstra, Tibi gloria cælo digna: Virtutis Tutelarem, scientiarum decus, Ecclesiæ Patrem, juratum pietatis Professorem, genuisse. Nemo Tibi securè congredi ausus: cuilibet Theopompũ Efforo, Themistocli Milciadem, Zeuxidi Parrhasium; majorem omnibus, gloriosiorem universis Te ostendisti. Meminisse omnia videbaris, non discere, & qvæ alijs tantùm sudoribus immortales vendunt Superi, Tibi ultrò donâsse credebantur. Audîsti Theologiam, utpote sermonem de DEO, cui à teneris in vim gratissimi homagij cor ac totum Te obtulisti, ut nihil præter DEVM speculare. Hypostases ejus: perfectiones, attributa, tanto anhelitu cognoscebas, ut Te vix Viatorem præ amore DEI memineris. Non alium Tractatum gratiùs resolvebas, qvàm de Scientia Sanctorũ, de Notitia DEI, uni huic Objecto adhærere desiderando: unde vel ideò Te inter Prædestinatos censuisti. SERAPHINORVM Ordine cum retinearis, Virtutesq; Angelorum imiteris, qvid mirum? si naturam eorum facilè noveris. Gratiæ non speculator, sed possessor existis, vel ideò comparticeps naturæ Divinæ, qvòd juxta magnum Augustinum: in manibus Tuis, veluti in Vtero Intaminatæ Virginis sæpiùs incarnetur Xtũs, qvem totis amplexus visceribus in Ara cordis, ut in throno cælesti circumfers. De peccatis eruditas ciebas disceptationes, ut procul ea fugiens, indicares: qvantum malum afferant animæ. Lustrasti Septicollẽ Vrbem, Heroum Xti victorijs trophæisq; augustam, ut septiformium donorũ, qvæ triumphatoribus sunt oblata: particeps, Doctoraliq; laureâ redimitus, fuisses. Ast neqvaqvam congruum erat redire in Patriam ex Vrbe doctarum Frontium coronatrice; non Doctorem, qvi jam ante laureolas: moribus, Virtute ac Sciẽtia Doctor extiteras; qva in re, post tot sudores eruditosq; æstus, Theologicâ coronaris cidari. Nec in illo orbis capite longas traxisti moras: *Turpe ratus mansisse diu, vacuumq; reverti*; ne gestiret Roma, qvasi Tibi de suo adderet decore ad triumphum, vidisti eam tantùm, qvam videre ad delicium humano generi sat est, & mox dives virtutum, nec scientiæ inops redis ad nativos Penates: festivo omnium applausu excipiend⁹; ibi admirationem Tui, doloremq; relinqvendo, gaudiũ natali solo intulisti. Tu materia discursuum honestissimorum, Tu lætitiæ, Tu certantibus in Tui amorem ita fuisti animis, ut esse non desinas. Hic miram in Te stupet ad res gerendas activitatem, ille ingenij profunditatem, alius morum virtutumq; concinnam Symmetriam, alter Religiosam jucundamq; corporis compositionem, ac omnium decorum compendium summoperè contemplatur. Exedram Magisterij occupâsti, qvanta explicandi Tibi erat copia! ut verba ex verbis nasci Tibi crederentur; qvantâ ingenij subtilitate, sensûs claritate discipulos informabas, ut cũ

Aqvinas præ pectore, Tu solem ferre putareris præ ore. Rosas floresq; labijs promebas, à cujus ore, ceu apes à svaviore esca pendebant Te audientes. Ita audiebaris, ut vel ipse fulmineus periclitetur Pericles, terreat Terrentius, vocalissimus sileat Demosthenes, Te altero præsente Trismegisto Mercurio; ita docuisti, ut ad Tuam scientiam, ipse marceat Martialis, Tacitus taceat; adibant Te cæteri, ceu Encyclopædiam scientiarum, veniebant ut ad oraculum, qvidam admirati oculis in Te defixis, velut penduli Memnones attoniti stupebant. Qvantæ autem in disputationibus admirationi fueris? tacito liceat venerari silentio. Qvalem qvantumve in sacris Exedris Augustinum, in pulpitis Ecclesiasticum Demosthenem, Te demonstrasti? haud possibilitas est enarrandi; duxisti illâ cælesti svadâ animos populi in triumphũ, plantâsti virtutes, vitia eradicando ita, ut non jam dictione persvadere, qvàm animis Audientium imperare crederêris. O eximiæ probitatis Professorem! qvis eruditiori pennâ tantas inseqvi dotes qveat? Huc mihi calamos promovendi cultûs Divini attritos munere date, pulchriùs istis Nomen tanti Doctoris notabo; huc exedras, qvas insedit, suggestus, qvos occupavit: comportate, exstruam Colossos, triumphales erigam Pyramides; huc codices, tomos congregate: dabunt volumen laudum; huc libellos & chartas explicate, in unũ colligite fascẽ, ex horũ folijs nectã adoreas, qvib⁹ sudores abstergere, labores nobilitare, caput valeã redimere, satiùs redimire.

Verùm expleto Magisterij decimo qvinto anno, ultra non patitur tanta merita honor, dum post tot aliorum elusos ac elisos conatus, postq; multiplices plurimorum Patrum alteri parti faventium calculos, votis adversantium confutatis, ipso cælorũ adjecto voto, in vim præmiandæ Virtutis, per utrãq; Poloniam ac partem Silesiæ, Ministrum Te Provincialem effecit. Tali condecoratus dignitate, ubiq; operosus cum stupore, honoratus cum applausu, doctus cum ignorantia vitiorum, extitisti; nullos motus sensisti, qvos non sedares, nulla pericula vidisti, qvib⁹ non obviares, nullas difficultates cogitâsti, qvas ãteqvã veniret, nõ vinceres; tã inter sudores qviet⁹, qvàm intra otia sollicit⁹; docuisti nos absq; meritis: nec triumphari, nec posse triũphare. Verè Te Ministrũ exhibuisti, non tãtùm nomine, sed etiã re omnib⁹, qvi Superioris oblitus, ita ad omniũ Te abjecisti obseqvia, ut nemo sibi non subventũ priùs à Te sentiat, qvàm cogitaret, nemo anteqvàm imploraret, succurrisse sibi non expertus; cũ Tui unius sit: vota antevertere, desideria præcurrere nostrûm omniũ; mirari illã prõptitudinẽ, qva nec Superos subvenisse aliqvãdo vidimus, licèt mille victimas & voces obviam expediremus. Eripuisti Te totum Tibi, ut nobis donares, nullusq; jam Tibi, totus nobis vixisti; nunqvam liberalior in nos, qvàm in Te parcissimus, tunc maximâ in fortuna infelicissimus, cum Nos minùs felices videas. Tuos labores nostrã fecisti qvietẽ, Tuis incommodis nostra commoda redimimus, Tuo consilio stamus, nostrâ imbecillitate cadimus, Tuo honore gloriosi, Tuis Virtutibus probi, Tuisq; immortalibus factis supra fata, & divinâ qvadam vultûs majestate, plusqvam humani. Hoc apud Te imperare erat, ut omnium votis pareas, deesse Te officio ratus, si desis utilitati publicæ; nec tam dignitatis nomen, qvàm onus dilexisti, tunc illud dignè succollare visus Tibi, qvoties sinè invidia Tituli, honorẽ dignitate factorũ superâsti. Sed nec invidere Tibi potuit, licèt vellet livor, qvem amor

Subditorum

Subditorum altiùs ſupra invidiam extulit; videri poteſt, non invideri, ſolis inſtar, qvi qvò altior, eò ſe umbra minor comitatur. Clavũ Regiminis clavim ad pectora ſubjectorum Tibi feciſti, ſi reſeranda forent, videres illic ſimillimum Tibi, qvi ita Te impreſſiſti cordibus, ut id explicari Pacati & Plinij excedat amplitudinem: *Multos honor crudeles fecit, Te nemo clementior, qvi etiam ipſam clementiam ſuperâſti.* Fulminandum erat? ita fulminabas, ut illicò flammas, gratiarum reſtingvas profluvio; agendum juſtè? agebas, ita tamen, ut juſtitiam amãdo, miſericordiam non offendas. Talẽ Te Roma vidit PRÆSVL Benigniſſime, nobiſq; annũ gratiæ indulſit, dum Te Rdmũs Generalis: Provincialem qvarti anni nobis donavit. Probavit Te vel inde ad ardua qvæq; Religionis negotia, ſinè Te nihil decernere auſa, tanqvam illi orbis Capiti, parùm eſſet ingenij, niſi etiam de Tuo participaret; unde & Commiſſarius Viſitatorq; Provinciæ Litvanorum, Ordinis proprij deſtinaris; qvanta documenta Virtutis CRUX monſtravit? qvanta meritorum veſtigia SOLEA impreſſit? ACCIPITER probitatis qvãta reliqvit exẽpla ibi? haud potuit hæc, illa Orientalis præ ſtupore percipere Natio. Peracto ejuſmodi glorioſiſſimè Officio, iterùm ſecundariò Tuæ Præſidẽtiæ cõmittitur Capitulũ Provincialatûs in Pãnonia, ut illa Xti Vinea Tuæ probitatis pota vigore, merum bonumq; ſpiret odorem. Bis Gvardianus Crac: Conventûs, tum Opolienſis, ac denuò CVSTOS Crac: effectus; qvantas vigilias, qvantas curas, incommoda, ac labores hucuſq; ſuſceperas? curioſi? id totũ unicuiq; indagãdũ cõmittitur. Meritò Te dixerim Virum ſecundùm Cor DEI, qvi ut alter David omnem in Te Virtutũ expreſſiſti ideam; verè bonus Superior in ſubditos, melior Pater in filios, optimus Paſtor in gregẽ Tuũ extitiſti; certò certiùs cum Iacob cælo poteris inculcare: *Die noctuq; æſtu urebar. & gelu, fugiebatq; ſomnus ab oculis meis.*

TALIS DECEBAT VT ESSES PONTIFEX illi Genti, ingenti Virtutum condecoratus ſpecimine, integro orbe, ipſis qvoq; EXCELSIOR CÆLIS FACTVS. Qvem vel ipſum Numen Talem præſcivit, Deiparæ Nativitas genuit, Tutelaris dies Infulatum nominavit. Libravit benè Septẽber Tua merita, dũ qvadrageſimo in Religionis laborib⁹ expleto anno, ejuſmodi Te dignatur honore; aſt ne Scipionis frutex in plãta adhuc ad Sirios æſtus, Autumni ac hyperboreos brumæ algores, areſceret: lenes vernãtis Floræ Favonij, in ejus conſpirârunt Conſecrationis effectum. Nec SZEMBECCIORVM Flores, qvos adeò adamavit Patria, ut Regib⁹ à corde, Senatui ab ore, militiæ à manu pendeant, ſub illorumq; Roſa, etiam nunc totius Regni arcana lateant: in Tuæ coronandæ virtutis emarcuêre obſeqvio. Auguſtum Illuſtriſſimi & Reverẽdiſſimi D. CASIMIRI ŁVBIENII Caput: optimâ plenũ mẽte, toties deſudãs ſupra cõſilia demoliẽdæ pravitatis, probitatiſq; promovẽdæ; nõ Tuã ſinè dignitatis præmio dijudicavit. Ipſe Vavell⁹ Sũmis turgẽs decorib⁹, nõ abſq; incremẽto eminẽtioris gloriæ Te eſſe cẽſuit; talẽ & Myſta Cliẽtũ affectus ſpectavit, Diœceſis expectavit. Ipſe honor altius videtur ſibi aſcendiſſe cacumen, poſtqvam in Te incidit, qvi honores recipiendo, reddis honoratiores, & dignitatem digniorem relinqvis, qvàm accepiſti. Ornâſti, imò onerâſti ſacratiori Cyclade validiorem Alcidæ viribus lacertum, qvo Religionis pondus hucuſq; robuſtior Atlas ſuſtentabas, ne fatorum ſuccumbat exitio. Intuliſti verticem tiaræ, cujus argutius conſiliorum documentum, nefanda vitiorum

sustulerat nocumenta. Porrexisti Scipioni manum, Ipse magnus Scipio, qvā ultrò non qvæsiti exposcendo fasces, suo annulo procurandæ & curandæ aliorum saluti, subarrhârunt. Successisti Magnus non minoribus Tuis Prædecessoribus, qvorum probè facta, non tantùm æqvâsti, sed etiam superâsti. Præesse jam & prodesse sibi, Te exoptat BACCHOVIENSIS Cathedra, Sponsa Tua; ut ei Caput, Senatui os, nobilitati manus, orphanis cor: consilio, facundiâ, dexteritate, Paternoq; amore, in feras vivas ætates.

Emines proinde Illustrissime PRÆSVL ut suprema potestas, qvæ inter mille victimas unum odorat amorē, magisq; gaudet igne, qvo crematur, qvā thure Sabæorum. Idcirco & Nos non aliā hostiam ad Tui HONORIS ARAM, qvàm ipsa litam⁹ corda, ut exindè purum candidæ sinceritatis percipias odorem. Huc, & qvidē primus in Persona totius PROVINCIÆ Nostræ cum Voto favētissimi affectûs accedit: A.R.P.M. LUDOVICUS ELBING, Minister Prov: & Commiss: Gener: certior extra Delphos Apollo, norma virtutum, verus in Spiritu Filiorū Pater, singularissimus Tui honoris cultor, alter cum Castore Pollux: unanimi omniū voto, intimi amoris spirans aroma, HOSTIAM INFULATI HONORIS in ARA VIRTUTIS CONSECRATAM, Tuo Nomini jugiter dicaturus. Grādæv⁹ ille nō magis senio, qvā meritis, A.R.P.M. CASIMIRUS BIERNACKI, Pr: Prōæ, Custos Gnesn: Cōm: & Præsidēs Capituli, ac Religionis Chronolog⁹, alter magnus consiliorum arbiter: suū Gentile Caput, cui ratio & magnæ cælestia semina mentis, munere sunt concessa Deûm; non absq; plurimo capite perēnis gloriæ, Tuo infert & offert Nomini. A.R.P.M. FRANCISCI GORZYNSKI emeritissimi Prōæ Patris: Tubæ, haud permittūt Tuā sub Rosa latitare famā; toto cātabitur orbe. Nec virtute exími⁹ Prōæ Pr: Custos Lubl: Cōm: & Præsidēs Capit: Prōæ Litv: A.R.P.M. BONAVENTURA GIERAKOWSKI, malū Tuo honori ominatur succesū. Fulcit eum suis Hastis sacratior Noster Crac: Demosthenes: A.R.P.M. MARTINUS KAŁOWSKI, triman⁹ Prōæ ac pupillorū Pr: Custos Culmensis, ne fatorū subjaceat ruinæ. His sua jūgūt vota, Tuā oneraturi & ornaturi Arā: Meritissimi A.R.P.M. & Diffin: Prōæ Nostræ, Lumina ac Soles Orbis SERAPHICI, una qvæq; subtilissimi Scoti mēs & ingenium: semper & ubiq; pro Tuo certabūt honore; ad qvem propugnandum, Voto totius FAMILIÆ Conv⁹ Crac: A.R.P. ALEXANDRI SIERAKOWSKI S.T.L. Comm: ejusdē Conv⁹ prôperat Solea: in ala culmen honoris, in Sagitta centrū æternitatis ei demōstrans, tot fructus gloriæ, qvot literas & versus cum suo Seminario in laudes Tuas paginæ inaravit, autumnando. A.R.P.M. PAULUS GAWORSKI Regens Studij Crac: Diffin: Prōæ haud Tua silebit encomia, munere Tutelaris sui etiam Gentibus illa deprædicabit. Non auferetur Tibi pretium bonæ famæ patrocinante A.R.P.M. ANTONIO BORZYKOWSKI, Regēte ejusdē Studij, Diffin: Prōæ; invenies, qvinimo habes jam in Tui Honoris elogiū: amplā eximiamq; laudū Panegyrim in vim addictissimæ propēsionis, qvi mente & animo à corde Tuo, ut Xtūs Indigetis ab ore pēdens, semper Tibi faustissima qvæq; pollicetur. Id ipsum Mysta toti⁹ Nostræ Prōæ Affect⁹: dicit, dicatq; vovet, & gratulatur; Insuper supplex, indigus indignusq; non tam Orator, qvàm Tuæ ARÆ Adorator, humillimè precatur.